This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Sp 15.9.03.3

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

*480. Budapest, 1903. Ed. Némethy.

A. Persii Flacci Satiræ. Edidit, adnotationibus exegeticis et indice verborum instruxit Geyza Némethy Academiæ Litterarum Hungaricæ Sodalis. Budapestini. Sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ. MCMIII. 8°. pp. 392. *M.*

EDITIONES CRITICÆ

SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM

A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

PUBLICI IURIS FACTÆ.

A. PERSII FLACCI SATIRÆ.

BUDAPESTINI.

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ.

MCMIII.

A. PERSII FLACCI

SATIRÆ.

EDIDIT, ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS ET INDICE VERBORUM INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

BUDAPESTINI.

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ.

MCMIII.

~~Lp 15.9.03~~

Lp 15.9.03-3



Constantius fund

PRÆFATIO.

Cum nuper, Persii satiras in Regia Scientiarum Universitate Budapestinensi discipulis meis interpretaturus, commentarios priorum interpretum diligentissime perlegissem, permulta in Persio, obscurissimo Romanorum poeta, hodie quoque obscura esse novumque commentarium non fore omni ex parte supervacuum facile intellexi. Quare in hac editione adornanda, qua non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulere volui, duo erant mihi proposita: primum, ut explicationes locorum maxime probabiles ex adnotationibus editorum et ex commentationibus ad Persii satiras pertinentibus colligerem, deinde, ut in quæstionibus adhuc non solutis ego quoque pro virili parte aliquid conferrem ad poetam rectius intellegendum.

In verbis Persii constituendis *Buechelerum* secu-

tus sum ducem, qui editionis tertiæ Jahnianæ* curam præstantissime egit. Locos igitur, ubi ab hac optima recensione discedendum putavi, hic afferam.

Vita Persii. §. 3. *Flaccus:* habent libri omnes — *[Flaccus]:* uncis seclusit Buecheler. §. 6. *sectæ Stoicæ:* emendavit Pithœus — *sectæ poeticæ:* libri. Totus locus corruptus est, quem ego sic emendandum esse existimo: «Nam *Cornuto* illo tempore *traditus* fuit (sc. Persius), sectæ *Stoicæ philosopho, cui* libros reliquit». Cf. infra §. 10: «*Reliquit* (sc. Persius) circa HS vicies matri et sorori scriptis tantum ad matrem codicillis. *Cornuto* rogavit ut daret sestertia, ut quidam dicunt, C, ut alii, L et argenti facti pondo viginti et *libros* circa septingentos Chrysippi sive *bybliothecam* suam omnem.»

Prologus. Choliambos in fine libri habent Montepessulanus 212 et Vaticanus, quos Buecheler secutus est; ante primam satiram habet Montepessulanus 125, quem ego sequendum putavi, quia choliambi procul dubio præfationem ad totum satirarum librum continent.

Satira I. V. 4. *Pulydamas:* scripsi metri causa, quod respondet Homerico *Πουλυδάμας* — *Polyda-*

* Cf. *A. Persii Flacci*, D. Junii Juvenalis, Sulpiciæ *Saturæ*. Recognovit *Otto Jahn*. Editio tertia. Curam egit *Franciscus Buecheler*. Berolini, apud Weidmannos, MDCCCXCIII.

mas: libri. V. 8. post *sed fas* duo puncta (:) posui, quia mea sententia non est cum sequentibus iungendum; cf. adnotationem ad h. l. V. 11. post *patruos* comma posui, ubi Buecheler semicolon (;) posuit; cf. adnotationem ad h. l. V. 22. post *escas* Buecheler signum interrogationis posuit, ego comma; causam vide in adnotatione ad v. 23. V. 23. *articulis:* coniecit Madvig Adv. crit. II. p. 128. — *auriculis:* libri. V. 75—78. verba *euge . . . fulta* Buecheler interlocutori cuidam tribuit, ego poetæ ipsi. V. 96—97. Buecheler poetæ tribuit, ego interlocutori. V. 98. ego poetæ tribui, Buecheler interlocutori.

Satira II. V. 2. *apponit:* codex Montepessulanus 125 — *apponet:* Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 13. *namque:* codex Montepessulanus 125 manu altera, quod metri causa recipiendum putavi — *nam et:* Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 19., ubi *cuinam* bis positum est, primum *cuinam* interlocutori tribui; Buecheler utrumque poetæ tribuit. V. 51. verba: *Fundo . . . nummus in immo* interlocutori tribui, Buecheler poetæ. V. 61. *terras:* scripsi Lactantii (Inst. Div. II. 2, 18) testimonium secutus — *terris:* libri.

Satira III. V. 9. «*Findor*»: scripsi, verbum iuveni desidioso tribuens, quod sensus loci postulat — *Findor:* sine signis Buecheler, fortasse errore. V. 21.

Buecheler post *contemnere* punctum posuit, ego duo puncta, quia artius cum sequentibus iungendum est; cf. adnotationem ad h. l. V. 46. *non sano:* Montepessulanus 125 — *et insano:* Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 57. *callem:* Montepessulanus 125 manu altera; cf. Hesiod. Opp. 290: ὄρθιος οἶμος — *collem:* Montepessulanus 125 manu prima, Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 93. *rogavit*: Montepessulanus 125 — *rogabis:* Montepessulanus 212 et Vaticanus; *rogabit:* Buecheler. V. 98. post *restas* Buecheler signum interrogationis posuit, ego punctum.

Satira IV. V. 9. verbum *puta* Buecheler Alcibiadi tribuit, ego Socrati; cf. adnotationem ad h. l. V. 24. *præcedentis:* scripsi, ubi littera *s* in fine verbi propter sequens *spectatur* facile potuit omitti; idem probat Heinrich — *præcedenti:* libri. V. 31. *farratam . . . ollam:* scripsi secutus Montepessulanum 212 et Vaticanum — *farrata . . . olla:* Montepessulanus 125. V. 48. Buecheler comma posuit post *venit,* ego post *amarum,* quia hoc *amarum* ad *penem* est referendum; cf. adnotationem ad h. l.

Satira V. V. 47. *Libra:* maiuscula littera, quia agitur de signo zodiaci — *libra:* Buecheler. V. 49. *Geminos:* maiuscula littera, quia agitur de signo zodiaci — *geminos:* Buecheler. V. 59. *Fregerit:* Montepessulanus 125; cf. adnotationem ad h. l. —

Fecerit: Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 84. *voluit:* Montepessulanus 125 — *libuit:* Montepessulanus 212 et Vaticanus. V. 129. post *agitet* Buecheler signum interrogationis posuit, ego semicolon (;) posui. V. 134. *Rogitas? En saperdam:* florilegium Parisinum — *Rogas? En saperdas:* libri meliores, quod metrum non admittit. V. 141. «*Ocius ad navem*»: scripsi verba interlocutori tribuens — *Ocius ad navem:* sine signis Buecheler, qui verba poetæ tribuit. V. 150. *pergant:* Montepessulanus 212 et Vaticanus — *peragant:* Montepessulanus 125. Ibidem *sudare:* codices deteriores — *sudore:* Montepessulanus 212, Vaticanus et manu altera Montepessulanus 125, qui manu prima habet: *suadare.* V. 177. *Ambitio:* maiuscula littera, quia personificata est et verba: «*Vigila . . . senes*» ei sunt tribuenda; cf. adnotationem ad h. l. — *ambitio:* Buecheler.

Satira VI. V. 9. «*Lunai portum, est operæ. cognoscite, cives*»: scripsi, quia non Persii versus est, sed Ennii; Buecheler sine signis. V. 13. *securus; et:* scripsi; cf. adnotationem ad hunc locum — *securus et:* Buecheler. V. 14. *pinguior, etsi:* scripsi, ut editores priores — *pinguior; et si:* Buecheler. V. 37—38. verba: *et Bestius urget Doctores Graios,* quæ Buecheler interlocutori tribuit, poetæ tribuo;

cf. adnotationem ad h. l. V. 41. verba: *Hæc cinere ulterior metuas,* quæ Buecheler interlocutori tribuit, poetæ tribuo; cf. adnotationem ad h. l. V. 60. *exit:* Montepessulanus 212 et Vaticanus — *exstat:* Montepessulanus 125.

VITA PERSII.

VITA A. PERSII FLACCI DE COMMENTARIO PROBI VALERII SUBLATA.

1. Aulus Persius Flaccus natus est pridie nonas Decembris Fabio Persico L. Vitellio coss.* Decessit VIII. kalendas Decembris P. Mario Afinio Gallo coss.**

2. Natus in Etruria Volaterris, eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus. Decessit ad octavum miliarium via Appia in prædiis suis.

3. Pater eum Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex. Fulvia Sisennia nupsit postea Fusio equiti Romano et eum quoque extulit intra paucos annos.

4. Studuit Flaccus usque ad annum XII. ætatis suæ Volaterris, inde Romæ apud grammaticum Remmium Palæmonem et apud rhetorem Verginium Flavum.

5. Cum esset annorum XVI., amicitia cœpit uti Annæi Cornuti ita, ut nusquam ab eo discederet. Inductus aliquatenus in philosophiam est.

6. Amicos habuit a prima adulescentia Cæsium Bassum poetam et Calpurnium Staturam, qui vivo eo iuvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Cognovit per Cornutum etiam Annæum Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. [Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectæ

* Id est a. 34. p. Chr. n.

** Id est a. 62. p. Chr. n.

Stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. Sed] Lucanus mirabatur adeo scripta Flacci, ut vix se retineret recitante eo de more, quin illa esse vera poemata, sua ludos diceret. Sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum acriter tunc philosophantium, Claudi Agathurni medici Lacedæmonii et Petroni Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et æmulatus, cum æquales essent Cornuti, minor ipse.

7. Idem decem fere annis summe dilectus a Pæto Thrasea est ita, ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente.

8. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis.

9. Fuit frugi, pudicus.

10. Reliquit circa HS vicies matri et sorori scriptis tantum ad matrem codicillis. Cornuto rogavit ut daret sestertia, ut quidam dicunt, C, ut alii, L et argenti facti pondo viginti et libros circa septingentos Chrysippi sive bybliothecam suam omnem. Verum a Cornuto sublatis libris pecunia sororibus, quas heredes frater fecerat, relicta est.

11. Scriptitavit et raro et tarde. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset. Leviter conrexit Cornutus et Cæsio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum.

12. Scripserat in pueritia Flaccus etiam prætextam et hodoeporicon librum unum et paucos in socrum Thraseæ, in Arriam matrem, versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius, ut aboleret.

13. Editum librum continuo mirari homines et diripere cœperunt.

14. Decessit autem vitio stomachi anno ætatis XXX.*

15. Sed mox ut a schola magistrisque devertit, lecto Lucili libro decimo vehementer saturas componere studuit. Cuius libri principium imitatus est sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis inculpaverit. Cuius versus in Neronem cum ita se haberet: «Auriculas asini Mida rex habet», in eum modum a Cornuto ipso tantum nomine mutato est emendatus: «Auriculas asini quis non habet?», ne hoc in se Nero dictum arbitraretur.

* Ita codices, quod falsum demonstrant consulum nomina supra posita, unde poetam anno ætatis XXVIII. decessisse elucet.

AULI PERSII FLACCI SATIRÆ.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino.
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic poeta prodirem;
Heliconidasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum chære
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poetas et poetridas picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum, o quantum est in rebus inane! —
«Quis leget hæc?» — Min tu istud ais? Nemo hercule. — «Nemo?» —
Vel duo vel nemo. — «Turpe et miserabile.» — Quare?
Ne mihi Pulydamas et Troiades Labeonem
Prætulerint? Nugæ! Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas examenve improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ est quis non...? Ac si fas dicere..., sed fas:
Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Aspexi ac nucibus facimus quæcumque relictis,
Cum sapimus patruos, tunc, tunc, ignoscite... — «Nolo.» —
Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti
Et natalicia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.
Tunc neque more probo videas nec voce serena
Ingentis trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun, vetule, auriculis alienis colligis escas,
Articulis quibus et dicas cute perditus: «Ohe»? —
«Quo didicisse, nisi hoc fermentum et, quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?» —

En pallor seniumque! O mores, usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —
«At pulchrum est digito monstrari et dicier: «Hic est»;
Ten cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendes?» —
Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum umeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat ac tenero subplantat verba palato.
Adsensere viri: nunc non cinis ille poetæ
Felix? Non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivæ: nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? — «Rides» ait «et nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse et cedro digna locutus
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec tus?» —
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est,
Sed recti finemque extremumque esse recuso
«Euge» tuum et «belle». Nam «belle» hoc excute totum:
Quid non intus habet? Non hic est Ilias Atti
Ebria veratro? Non, si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? Non, quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et: «Verum« inquis «amo, verum mihi dicite de me».
Qui pote? Vis dicam? Nugaris, cum tibi, calve,

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantæ.
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? Quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues? «Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam derigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ.»
Ecce modo heroas sensus adferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes
Et focus et porci et fumosa Palilia fæno,
Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge, poeta!
Est nunc, Brisæi quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *aerumnis cor luctificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas, unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire «decenter»?
«Fur es» ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur: «Bellum hoc». Hoc bellum? An, Romule, ceves?
Men moveat? Quippe et cantet si naufragus, assem

Protulerim? Cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex umero portes? Verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
«Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit *Berecyntius Attis*
Et *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin*,
Sic *costam longo subduximus Apennino.*
Arma virum — nonne hoc spumosum et cortice pingui,
Ut ramale vetus vegrandi subere coctum?» —
Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum? —
«*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,*
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
Euhion ingeminat, reparabilis adsonat echo.»
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est Mænas et Attis,
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit unguis.
«Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant, sonat hic de nare canina
Littera». — Per me equidem sint omnia protinus alba.
Nil moror. Euge omnes, omnes bene, miræ eritis res.
Hoc iuvat? «Hic» inquis «veto quisquam faxit oletum.»
Pinge duos anguis: «Pueri, sacer est locus, extra
Meite»: discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis;
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Me mutire nefas? Nec clam? Nec cum scrobe? Nusquam?
Hic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle:

Auriculas asini quis non habet? Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade.
Audaci quicumque adflate Cratino
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure,
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus et lusco qui possit dicere: «lusce»,
Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas,
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentis apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros
Tollere de templis et aperto vivere voto.
«Mens bona, fama, fides» hæc clare et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: «O si
Ebulliat patruus, præclarum funus» et: «O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule, pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam; namque est scabiosus et acri
Bile tumet; Nerio iam tertia conditur uxor.»
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque et noctem flumine purgas.
Heus age, responde — minimum est, quod scire laboro —
De Iove quid sentis? Estne, ut præponere cures
Hunc... — «Cuinam?» — Cuinam? Vis Staio? An scilicet hæres,
Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas,
Dic agedum Staio: «Pro Iuppiter, o bone» clamet
«Iuppiter!» At sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia, cum tonat, ocius ilex
Sulpure discutitur sacro, quam tuque domusque?

AULI PERSII FLACCI SATIRÆ.

SATIRA III.

«Nempe hæc adsidue. Iam clarum mane fenestras
Intrat et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? Siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est»
Unus ait comitum. — «Verumne? Itan? Ocius adsit
Huc aliquis. Nemon?» turgescit vitrea bilis,
«Findor», ut Arcadiæ pecuaria ruderè credas.
Iam liber et positis bicolor membrana capillis
Inque manus chartæ nodosaque venit harundo.
Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat umor.
Nigra sed infusa vanescit sepia lympha:
Dilutas, querimur, geminet quod fistula guttas.
«O miser inque dies ultra miser, hucine rerum
Venimus? A, cur non potius teneroque columbo
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis et iratus mammæ lallare recusas?»
«An tali studeam calamo?» — «Cui verba? Quid istas
Succinis ambages? Tibi luditur. Effluis amens,
Contemnere: sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es. nunc nunc properandus et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum —

Quid metuas? — cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras, ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum
Pingue, caret culpa, nescit, quid perdat, et alto
Demersus summa rursus non bullit in unda.
Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra iuvenci
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit: «Imus,
Imus præcipites» quam si sibi dicat et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet, angustæ collo non fallier orcæ,
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens bracatis inlita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa inventus
Invigilat siliquis et grandi pasta polenta.
Et tibi, quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Stertis adhuc laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum dissutis undique malis?
Est aliquid, quo tendis et in quod derigis arcum,
An passim sequeris corvos testaque lutoque
Securus, quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poscentis videas: venienti occurrite morbo,
Et quid opus Cratero magnos promittere montis?
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus et quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus aut metæ qua mollis flexus et unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet, patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te deus esse
Iussit et humana qua parte locatus es in re.
Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu defensis pinguibus Umbris,
Et piper et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: «Quod sapio, satis est mihi. Non ego curo
Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones
Obstipo capite et figentes lumine terram,
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? Cur quis non prandeat, hoc est?»
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
«Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus, inspice sodes»

Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modice sitiente lagœna
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
«Heus bone, tu palles». — «Nihil est». — «Videas tamen istuc,
Quidquid id est, surgit tacite tibi lutea pellis». —
«At tu deterius palles. Ne sis mihi tutor.
Iam pridem hunc sepeli: tu restas». — «Perge, tacebo». —
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulpureas lente exhalante mefites.
Sed tremor inter vina subit calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto crassisque lutatus amomis
In portam rigidas calces extendit. At illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
«Nil calet hic». — Summosque pedes attinge manusque. —
«Non frigent». — Visa est si forte pecunia sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente catino
Durum olus et populi cribro decussa farina:
Temptemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas;
Nunc face supposita fervescit sanguis et ira
Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes».

SATIRA IV.

«Rem populi tractas» barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ
«Quo fretus? Dic hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendave calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus. Quid deinde loquere? «Quirites,
Hoc» puta «non iustum est, illud male, rectius illud».
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? Uncta vixisse patella
Semper et adsiduo curata cuticula sole?
Exspecta, haud aliud respondeat hæc anus. I nunc,
«Dinomaches ego sum» suffla «sum candidus». Esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ».
Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
Sed præcedentis spectatur mantica tergo.
Quæsieris: «Nostin Vettidi prædia?» — «Cuius?» —

«Dives arat Curibus, quantum non miluus errat». —
«Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit: «Hoc bene sit» tunicatum cum sale mordens
Cæpe, et farratam pueris plaudentibus ollam
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti?»
At si unctus cesses et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
Despuat: «Hi mores, penemque arcanaque lumbi
Runcantem populo marcentis pandere vulvas!
Tunc, cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista felix ullo mansuescit aratro».
Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto, sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Prætegit. Ut mavis, da verba et decipe nervos,
Si potes. «Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?» Viso si palles, improbe, nummo,
Si facis, in penem quidquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequiquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es, tollat sua munera cerdo.
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA V.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mæsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —
«Quorsum hæc? Aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto.
Si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit sæpe insulso cenanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentis radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicis, mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.» —
Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat dare pondus idonea fumo.
Secrete loquimur. Tibi nunc hortante Camena
Excutienda damus præcordia, quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat. Pulsa dinoscere cautus,
Quid solidum crepet et pictæ tectoria linguæ.

Hic ego centenas ausim deposcere fauces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pavido custos mihi purpura cessit
Bullaque succinctis Laribus donata pependit,
Cum blandi comites totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,
Cumque iter ambiguum est et vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere sollers
Adposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies et ab uno sidere duci:
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species et rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini,
Hic satur inriguo mavult turgescere somno,
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille

In Venerem putris; sed cum lapidosa cheragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuvat impallescere chartis,
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc puerique senesque
Finem animo certum miserisque viatica canis.
«Cras hoc fiet.» — Idem cras fiet. — «Quid? Quasi magnum
Nempe diem donas.» — Sed, cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras et in axe secundo.
Libertate opus est. Non hac, ut quisque Velina
Publius: emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit. Hic Dama est non tresis agaso,
Vappa lippus et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit, ita est. Adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas, hoc nobis pillea donant.
«An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior Bruto?» — «Mendose colligis» inquit
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto
«Hoc reliquum accipio, *licet* illud et *ut volo* tolle.» —
«Vindicta postquam meus a prætore recessi,

Cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?»
  Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenvia rerum
Officia atque usum rapidæ permittere vitæ:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis elleborum, certo compescere puncto
Nescius examen? Vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? Et veris speciem dinoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?
Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,
Inque luto fixum possis transscendere nummum
Nec gluttu sorbere salivam Mercurialem?
«Hæc mea sunt, teneo» cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens prætoribus ac Iove dextro.
Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines et fronte politus
Astutam vapido servas in pectore volpem,
Quæ dederam supra, relego funemque reduco:
Nil tibi concessit ratio; digitum exsere, peccas.
Et quid tam parvum est? Sed nullo ture litabis,

Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas, nec cum sis cetera fossor,
Tris tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.
«Liber ego». Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
«I puer et strigiles Crispini ad balnea defer»
Si increpuit, cessas nugator, servitium acre
Te nihil impellit, nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet; sed si intus et in iecore ægro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit erilis?
Mane piger stertis. «Surge» inquit Avaritia «heia
Surge». Negas. Instat: «Surge» inquit. — «Non queo.» — «Surge.» —
«Et quid agam?» — «Rogitas? En saperdam advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, tus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper ex sitiente camelo.
Verte aliquid; iura.» — «Sed Iuppiter audiet.» — «Eheu
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.»
Iam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas:
«Ocius ad navem!» Nihil obstat, quin trabe vasta
Aegæum rapias, ni sollers Luxuria ante
Seductum moneat: «Quo deinde, insane, ruis, quo?
Quid tibi vis? Calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ?
Tu mare transsilias? Tibi torta cannabe fulto
Cena sit in transtro, Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
Quid petis? Ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est,
Quod vivis, cinis et manes et fabula fies,

Vive memor leti, fugit hora, hoc, quod loquor, inde est.»
En quid agis? Duplici in diversum scinderis hamo.
Huncine an hunc sequeris? Subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, cum obstiteris semel instantique negaris
Parere imperio: «Rupi'iam vincula» dicas;
Nam et luctata canis nodum abripit, at tamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
«Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Præteritos meditor» — crudum Chærestratus unguem
Adrodens ait hæc — «an siccis dedecus obstem
Cognatis? An rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscænum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?» —
«Euge puer, sapias, dis depellentibus agnam
Percute.» — «Sed censen, plorabit, Dave, relicta?» —
«Nugaris? Solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses,
Nunc ferus et violens, at si vocet: «Haud mora» dicas.» —
«Quidnam igitur faciam? Nec nunc, cum arcessat et ultro
Supplicet, accedam?» — «Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc». Hic, hic, quod quærimus, hic est,
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui, palpo quem tollit hiantem
Cretata Ambitio? «Vigila et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes». Quid pulchrius? At cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.

Tum nigri lemures ovoque pericula rupto,
Tum grandes Galli et cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantis corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris ali.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens
Et centum Græcos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ,
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregius lusisse senex?
Mihi nunc Ligus ora
Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli et multa litus se valle receptat.
«Lunai portum, est operæ, cognoscite, cives»:
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus volgi et, quid præparet auster
Infelix pecori, securus; et, angulus ille
Vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto
Et signum in vapida naso tetigisse lagœna.
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio: solis natalibus est qui
Tinguat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum inrorans patinæ piper; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.

Messe tenus propria vive et granaria, fas est,
Emole. Quid metuas? Occa, et seges altera in herba est.
At vocat officium, trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio, iacet ipse in litore et una
Ingentes de puppe dei iamque obvia mergis
Costa ratis laceræ: nunc et de cæspite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula.
Sed cenam funeris heres
Negleget iratus, quod rem curtaveris; urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.
«Tune bona incolumis minuas?» et Bestius urget
Doctores Graios: «Ita fit; postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers,
Fænisecæ crasso vitiarunt unguine pultes».
Hæc cinere ulterior metuas?
At tu, meus heres,
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
O bone, num ignoras? Missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis ac iam postibus arma,
Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis
Essedaque ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
Egregie gestas induco. Quis vetat? Aude!
Væ, nisi conives. Oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? Dic clare. «Non adeo» inquis
«Exossatus ager iuxta est». Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,

Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi, præsto est mihi Manius heres. —
«Progenies terræ?» — Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
Unum etiam: terræ est iam filius, et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? Vis tu gaudere relictis? —
«Dest aliquid summæ». — Minui mihi, sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius, neu dicta: «Pone paterna,
Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus». [ungue,
«Quid reliquum est?» — Reliquum? Nunc nunc impensius
Ungue, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? Mihi trama figuræ
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare atque excute sollers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta,
Rem duplica. — «Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam; depurge, ubi sistam». —
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

ADNOTATIONES.

PROLOGUS.

Prologo, quem scazontibus conscriptum satiris praemisit Persius, se nullum cum Musis commercium habuisse neque divino quodam afflatu incitatum canere profitetur; humilia tantum carmina, satiras, se proferre, ita, ut verorum poetarum numero se eximere non dubitet. Ceterum scire se carmina etiam sine Musarum auxilio scribi posse, cum videat plurimos ventre tantum hortante, i. e. quaerendae pecuniae spe captos, poetas fieri.

V. 1—3. *fonte... caballino*, Hippocrene, apud Hes Theog. 6. Ἵππου κρήνη, fons Musarum in monte Helicone, de quo recte scholia: «Dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem pervenisse ibique siti oppressus ungula fodisse, ex quo loco fons editus Musis sit consecratus.» — *caballino*, vulgari vocabulo utitur poeta pro *equino* ironice, ut Juv. Sat. III. 118. de Pegaso: «Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi»; cf. Anth. Lat. 388. (ed. Riese): «Vectum Pegaseo volucri pendente caballo.» — *labra prolui*, alludit ad Ennium, qui in exordio Annalium ex Hippocrene se bibisse et inde poetico spiritu afflatum esse prædicavit; cf. Prop. III. 3, 1—6:

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit umor *equi*,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens *Ennius* ante bibit.

— *prolui,* de potione, ut Verg. Aen. I. 739: «pleno se proluit auro» et Hor. Sat. I. 5, 16: «multa prolutus vappa,» Sat. II. 4, 26—27: «leni præcordia mulso Prolueris melius». — *Nec in bicipiti somniasse Parnaso Memini,* recte scholia: «Tangit autem Ennium, qui dixit se vidisse per somnium in Parnaso Homerum sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore.» Plura de hoc somnio vide in adnotatione ad VI. 10—11: «postquam destertuit esse Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo». — *bicipiti... Parnaso,* mons Parnasus biceps nominatur propter duo illa cacumina, inter quæ fons Castalius scaturiebat. Cf. Ov. Met. I. 316—317:

> Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
> Nomine Parnasus superantque cacumina nubes;

Lucan. V. 72: «Parnasos gemino petit æthera colle.» — *prodirem,* sc. in publicum.

V. 4—7. *Heliconidasque,* Musas Heliconiadas, quas Hesiodus in Theogonia invocat vs. 1—2:

> Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
> Αἵθ' Ἑλίκωνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε

et de quibus vs. 22—23. dicit:

> Αἵ νό ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν,
> Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλίκωνος ὕπο ζαθέοιο.

Forma *Heliconis* pro *Heliconias* occurrit etiam apud Stat. Silv. IV. 4, 90. — *pallidamque Pirenen,* cf. Plin. N. H. IV. 11: «In medio hoc intervallo, quod Isthmon appellavimus, adplicata colli habitatur colonia *Corinthus,* antea Ephyra dicta, sexagenis ab utroque litore stadiis, e summa arce quæ vocatur *Acrocorinthos,* in qua fons *Pirene.*» Hunc fon-

tem Musis sacrum esse testatur Stat. Silv. I. 4. 27; eum quoque Pegasi ungula procreatum narrat idem Stat. Theb. IV. 60. sq. Quare Persius huic quoque fonti vim poeticam tribuit. Eam *pallidam* vocat, quia poetæ pallidi esse solent studiis nocturnis; cf. adnotationem ad I. 26: «pallor» et V 55: «pallentis grana cumini» et I. 17: «liquido cum plasmate» et Prop. IV. 7. 36, ubi *pallida vina* nominantur vina veneno mixta, quia homines pallidos reddunt. — *remitto*, cedo, concedo; cf. Cic. Verr. II. 5, 9: «Omnia ista concedam et remittam,» pro Planc. 30: «Te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Plancii honorem consumerem.» — *quorum imagines lambunt Hederae sequaces*, exemplo Asinii Pollionis clarorum scriptorum imagines in bibliothecis collocabantur; cf. Plin. N. H. XXXV. 9—10: «Non est prætereundum et novicium inventum, siquidem nunc ex auro argentove aut certe ex ære (imagines) in bibliothecis dicantur illis, quorum immortales animæ in locis isdem locuntur . . . Asini Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.» Imagines autem poetarum hedera ornabantur; cf. Hor. Carm. I. 1, 29—30: «Me doctarum hederæ præmia frontium Dis miscent superis;» Prop. II. 5, 26: «Cuius non hederæ circuiere caput»; Ov. Trist. I. 7, 1—4:

Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica serta, comis.
Ista decent lætos felicia signa poetas;
Temporibus non est apta corona meis;

Juv. VII. 29: «Ut dignus venias hederis et imagine macra.» — *lambunt*, insolenter pro *cingunt*; cf. Macr. Sat. I. 19. de thyrso: «Telum, cuius mucro hedera lambente protegitur.» — *sequaces*, lentæ, flexibiles; cf. Plin. Paneg. 45, 5:

«Flexibiles, quamcunque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, *sequaces* sumus»; Cic. De or. III. 45: «Nihil est tam *flexibile* neque quod tam facile *sequatur*, quocunque ducas, quam oratio». — *semipaganus Ad sacra vatum carmen adfero nostrum,* pagani dicuntur, qui eiusdem pagi sunt; pagani autem communia habebant sacra, de quibus Ov. Fast. I. 669—670:

> Pagus agat festum: pagum lustrate, coloni,
> Et date paganis annua liba focis

et Dion Halic. IV. 15: Ἵνα δὲ καὶ τούτων (τῶν συντελούντων εἰς τὸν αὐτὸν *πάγον*) ἡ πληθὺς μὴ δυσεύρετος, ἀλλ' εὐλόγιστος ᾖ καὶ φανερά, βωμοὺς ἐκέλευσε αὐτοῖς ἱδρύσασθαι θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ *πάγου*, οὓς ἔταξε θυσίαις κοιναῖς γεραίρειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἅμα συνερχομένους ἑορτήν τινα, καὶ ταύτην ἐν τοῖς πάνυ τιμίαν, καταστησάμενος τὰ καλούμενα *Παγανάλια* καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν ἱερῶν τούτων, οὓς ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, συνέγραψεν. Persius igitur se semipaganum ad sacra vatum accedere ideo dicit, quia se totum pago poetarum adnumerare non audet, se verum poetam esse non affirmat. Quare *semipaganus* hoc loco idem fere significat, quod *semipoeta,* Hungarice: «a költők közt csak félig czéhbeli», Germanice: «nur ein halber Zunftgenosse unter den Dichtern». *Semipoeta* autem recte dici potest satirarum scriptor, quia satira est humillimum poeseos genus; cf., quæ Horatius Sat. I. 4. 39—48. dicit de se et de satiris suis:

> Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
> Excerpam numero: neque enim concludere versum
> Dixeris esse satis; neque si qui scribat, uti nos,
> Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.

Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Idcirco quidam comœdia necne poema
Esset, quæsivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus;

Sat. II. 6, 17:

Quid prius illustrem saturis Musaque pedestri?

Ep. II. 1, 250—251:

. . . nec sermones ego mallem
Repentis per humum, quam res componere gestas.

— *Ad sacra vatum,* sacra vatum sunt studia poetica; poetæ enim, cum carminibus scribendis operam dant, Musis sacra facere videntur. Cf. Ov. Ep. ex Pont. III. 4, 67: «Sunt mihi vobiscum communia sacra, poetæ» et ib. IV. 8, 77—82. ad Germanicum Cæsarem:

Sic tibi nec docti nec desunt principis artes,
Mixta sed est animo cum Iove Musa tuo,
Quæ quoniam nec nos unda summovit ab illa,
Ungula Gorgonei quam cava fecit equi,
Prosit opemque ferat *communia sacra* tueri
Atque *isdem studiis* imposuisse manum.

— *carmen . . . nostrum,* satiras meas, librum satirarum.

V. 8—11. *Quis expedivit psittaco . . . chaere?* quis elicuit e psittaco humanam vocem? *Psittaco* est ablativus (unde?); ad constructionem cf. Verg. Aen. I. 701—702: «Dant manibus famuli lympas Cereremque canistris Expediunt.» — *psittaco,* de psittaco, humanæ vocis imitatore, cf. Plin. N. H. X. 117: «Super omnia humanas voces reddunt, psittaci qui-

dem etiam sermocinantes. India hanc avem mittit . . . Imperatores salutat et quæ accipit, verba pronuntiat.» Notissima sunt Ovidii (Am. II. 6.) et Statii (Silv. II. 4.) iocosa in psittacos epicedia et Martialis (XIV. 73.) epigramma de psittaco Cæsarem salutante. — *suum chaere,* suam salutationem; solebant enim Romani psittacos vel alias huiuscemodi aves salutandi formulas potissimum docere. Cf. Mart. XIV. 73. et Petr. c. 28. — *chaere,* χαῖρε, Græca salutandi formula etiam apud Romanos vulgata. Cf. Mart. VII. 39. et Philostr. Vit. Apoll. Thyan. I. 7: Τὸ γὰρ *χαῖρε* καὶ τὸ *εὖ πράττε* καὶ τὸ *Ζεὺς ἵλεως* καὶ τὰ τοιαῦτα οἱ ὄρνιθες εὔχονται οὔτε εἰδότες, ὅ τι λέγουσιν. — *Picasque,* de pica, humanæ vocis imitatrice, cf. Plin. N. H. X. 118: «Minor nobilitas (quam psittaci), quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi picarum est. Adamant verba, quæ loquantur nec discunt tantum, sed deligunt, meditantesque intra semet cura atque cogitatione intentionem non occultant». Petronius (c. 28.) narrat apud Trimalchionem super limen pependisse caveam auream, in qua pica varia intrantes salutaret. — *verba nostra,* verba humana, — *conari,* de magna contentione, qua aves humanas voces eloquuntur; *conari* cum accusativo *(verba),* ut Cic. Or. 10: «conari opus magnum et arduum»; ib. 30: «Vides Demosthenem multa perficere, nos multa conari». — *Magister artis . . . venter,* cf. Theocr. XXI. 1: Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει; Plaut. Stich. 178: «paupertas omnes artes perdocet»; Verg. Ge. I. 145—146:

> Tum variæ venere artes: labor omnia vincit
> Improbus et duris urgens in rebus egestas;

Anth. Pal. IX. 438. de formicis palea pro nave utentibus:

Ἦ ῥα φίλη γαστὴρ καὶ βαιοτάτους ἀνέπεισεν
Ἐκ χθόνος εἰς Νύμφας καινοτάτους ἑρέτας.

— *ingenique largitor*, cf. Manil. I. 79—81:

Sed cum longa dies acuit mortalia corda
Et labor *ingenium* miseris dedit et sua quemque
Advigilare sibi iussit fortuna premendo;

Cic. De fin. V. 13, 36: «Prioris generis (virtutum, quæ ingenerantur suapte natura) est docilitas, memoria, quæ fere omnia appellantur uno *ingeni* nomine». — *largitor*, qui large dat aliquid. Cf. Liv. VI. 2: «Prædam militi dedit, quo minus speratam a minime largitore duce, eo militi gratiorem»; Sil. It. VII. 164: «Bacche, sacri largitor laticis». — *negatas . . . voces*, voces naturæ lege negatas; cf. Manil. V. 379—381:

Quin etiam linguas hominum sensusque docebit
Aerias volucres novaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ lege negata.

— *artifex sequi*, Græco more infinitivo addito; cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis». — *sequi voces*, imitari, assimulare voces, Hungarice: «utána mondani», Germanice: «nachsprechen».

V. 12—14. *dolosi*, dolosus est nummus, quia homines illecebris suis transversos agit, corrumpit. — *spes refulserit*, cf. Vell. Pat. II. 103: «Tum refulsit certa spes liberorum parentibus»; Sen. Cons. ad Helv. 16: «Non tibi divitiæ velut maximum generis humani bonum refulserunt». — *nummi*, pecuniæ; *nummus* pro *pecunia*, ut IV. 47: «viso si palles, improbe, nummo» et Juv. XIV. 139: «Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit». — *Corvos poetas*, qui vera facultate poetica destituti ventre solum hortante

carmina scribunt. *Corvus* substantivum pro epitheto; cf. adnotationem ad VI. 74: «popa venter». De corvo, humanæ vocis imitatore, cf. Plin. N. H. X. 121: «Reddatur et corvis sua gratia... Tiberio principe ex fetu supra Castorum ædem genito pullus in adpositam sutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is mature sermoni adsuefactus omnibus matutinis evolans in rostra in forum versus Tiberium, dein Germanicum et Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat.» — *poetridas picas,* poetridas malas significat, ut supra: «corvos poetas». Poetridas igitur ne illo quidem tempore raras fuisse testatur Persius. — *Cantare... nectar,* audacter dictum; nectar pro poematibus dulcibus, ut Pind. Olymp. VII. 7: καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτόν, Μοισᾶν δόσιν, ἀθλοφόροις ἀνδράσιν πέμπων. Cf. Theocr. VII. 82. de cantu Tityri: Οὕνεκά οἱ γλυκὺ Μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ; Hesiod. Theog. 81. sq.: Ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο... Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἐέρσην, Τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα; Lucr. I. 945—947:

... volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram
Et quasi Musæo dulci contingere melle.

— *Pegaseium,* poeticum. Cf. adnotationem ad vs. 1: «fonte ... caballino».

SATIRA I.

In malos scriptores.

Exordium (v. 1—12.) *Poeta primo statim versu declarat se mores hominum esse castigaturum, quo audito interlocutor quidam eum consilio abducere temptat, cum talia carmina nemo sit lecturus. Poeta respondet se in tam corrupto de litteris iudicio, quid Romani de carminibus suis dicturi sint, non curare, sed ipsis vitiis aetatis suae ad satiras scribendas tali modo excitari, ut tacere nequeat.*

V. 1. *O curas hominum, o quantum est in rebus inane.* O quam vanæ sunt hominum curæ, o quanta est in rebus humanis inanitas, exclamat poeta. Versum a Lucilio sumpsit, ut statim in exordio poematis se satiram esse scripturum significaret. Cf. scholia: «Hunc versum de Lucili primo transtulit et bene vitæ vitia increpans ab admiratione incipit.» Idem nos docet Vita Persii de commentario Probi Valerii sublata, sed pro primo Lucilii libro commemorat decimum: «Mox ut a schola magistrisque devertit (sc. Persius), lecto Lucilii libro decimo vehementer saturas componere studuit, cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem, principem illius temporis, inculpaverit.» Unde primum libri decimi Luciliani versum a Persio huc translatum esse coniicias; argumentum enim huius libri simile fuisse argumento sa-

tiræ primæ Persianæ et in eo fuisse sita illa, quibus Lucilius Ennium, Accium aliosque poetas ita castigavit, ut in hac satira Persius sui temporis poetas insectatur, verisimile fit Probi Valerii testimonio. — *quantum est in rebus inane.* Scholiasta: «Græcum est: ὅσον τὸ κενόν». Ceterum verba: *in rebus inane* sæpius occurrunt apud Lucretium (I. 330, 382, 511, 569, 655, 660, 742, 843; V. 365), sed alio sensu: significant enim infinitum illud inane, in quo secundum Epicuri rationem atomi ita feruntur, ut concursionibus inter se cohærescant. Cf. Cic. De fin. I. 6, 17.

V. 2—3. «*Quis leget haec?*» — *Min tu istud ais? Nemo hercule.* — «*Nemo?*» Ut apud Horatium (Sat. II. 1.) Trebatius, ita hoc loco interlocutor quidam innominatus, de quo Persius hæc tantum dicit vs. 44: «Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci», poetam satiris scribendis deterrere conatur. Is audito primo versu statim interrogat: «Quis leget hæc?» quo satiras non esse gratas lectoribus vult significare. — *Min tu istud ais?* id est: «Mihine tu hoc dicis, qui etiam sine te bene scio multitudini non placere mordax hoc carminum genus?» respondet poeta statimque addit: «*Nemo hercule*» sc. hæc leget. Cf. Hor. Sat. I. 4, 22—23: «cum mea nemo Scripta legat». — «*Nemo?*» rogat admirans interlocutor, qui poetam ita responsurum esse non exspectavit. — *Vel duo vel nemo,* id est: aut admodum pauci meas satiras legent aut nemo, ait poeta. Cf. Græcorum: ἢ ὀλίγοι ἢ οὐδείς, Hippocr. De morbo sacro c. 13; ἤ τις ἢ οὐδείς, Plat. Resp. VI. p. 496. B. — «*Turpe et miserabile*» sc. erit, si nemo tuas satiras leget, ait interlocutor. — *Quare?* id est: cur sit hoc turpe et miserabile, interrogat poeta et vss. sqq. clare dicit se non curare populi iudicium.

V. 4—5. *Ne mihi Pulydamas et Troiades Labeonem*

Praetulerint, supple: An putas me timere, ne mihi proceres Romani Labeonem præferant? Similis ellipsis est apud Cic. De fin. V. 3, 8: «Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim», ubi supplendum est: Sed vereor, ne etc. — *Pulydamas et Troiades*, Persius duos versus Homericos hoc loco imitatur, Il. X. 100: Πουλυδάμας μοι πρῶτον ἐλεγχείην ἀναθήσει et 105: Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους, ubi Hector vituperationem Pulydamantis et ceterorum Troianorum se vereri dicit. Pulydamas autem et Troiades apud Persium significant proceres Romanos, qui se ex Troianis Aeneæ in Italiam migrantis comitibus ortos ferebant, quare eos etiam Juvenalis *Troiugenas* (I. 100, VIII. 181, XI. 95.) et *Teucrorum prolem* (VIII. 56.) appellat. Ceterum Persius Ciceronem secutus est, qui Ep. ad Att. II. 5, 1. Catonem Uticensem Pulydamantem, optimates autem Troianos appellavit: «Sed hoc tempore et his mittentibus αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. Quid enim nostri *optimates*, si qui reliqui sunt, loquentur? An me aliquo præmio de sententia esse deductum? Πουλυδάμας μοι πρῶτον ἐλεγχείην ἀναθήσει, *Cato* ille noster.» Similiter his versibus ludit etiam Ad Att. VII. 1, 4. et VIII. 16, 2. *Pulydamas* igitur apud Persium significat homines nobili loco natos, quorum iudicium eo tempore in rebus litterariis, ut tempore Ciceronis iudicium Catonis in rebus publicis, plurimum valebat, *Troiades* autem sunt ceteri proceres, qui in verba Pulydamantum illorum iurabant. — *Troiades*, Persius non commemorat, ut Homerus, Τρῶας καὶ Τρῳάδας, sed tantum *Troiades*, ut effeminatos eius temporis mores notet. Imitatur Homerum, qui de Troianis ignavis dicit Il. II. 235: Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί, et Verg. Aen. V. 704: «O vere Phrygiæ neque enim Phryges.» Romanos sui temporis non esse viros etiam alibi in hac satira dicit Persius.

ut vss. 10—11, 87. et gravissime vss. 103—104: «Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis?» — *Labeonem*, Attius Labeo, poeta eius temporis, quem etiam vs. 50. commemorat. Vide scholia ad h. v.: «Labeo transtulit Iliadem et Odyssiam verbum ex verbo ridicule satis» et ad vs. 50: «Attius Labeo poeta indoctus fuit illorum temporum, qui Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit.» Nomen hoc occurrit in titulo Corinthiensi mutilo: «Modestinum . . . Attium Labeonem . . . Xvir. stlitibus iudicandis», quem edidit Joh. Schmidt (Mitt. des deutsch. archæol. Inst. in Athen. VI. p. 354.) — *Nugae!* exclamatio: quæ proceres illi de poetis dicunt, nugæ sunt, nihil valent. Exclamatio: *Nugas!* occurrit apud Plaut. Most. 1088. et Pers. 718.

V. 5 7. *Non, si quid turbida Roma Elevet, accedas examenve improbum in illa Castiges trutina,* id est: si quid Roma inquieta damnet, tu non assentiaris neque quidquam illa falsa Romanorum iudicii trutina pensare temptes. — *turbida Roma,* inquieta, quales magnæ urbes esse solent. — *Elevet,* damnet. Cf. Phædr. IV. 3, 5: «Qui, facere quæ non possunt, verbis elevant.» — *accedas,* non accedas ad sententiam eius, non assentiaris. — *examenve improbum in illa Castiges trutina,* hoc loco *trutina* est iudicium Romanorum; huius trutinæ *examen,* id est: lingua sive ligula, *improbum* (falsum, corruptum) est, quare trutina non potest pondera iuste demonstrare. (*Improbum* hoc loco idem significat, quod infra vs. 130. *iniquum:* «Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.») *Castigare examen* est, ut scholiis docemur, «digito libram percutere, ut temperetur», sed examen falsum castigare inutile est. Sensus est igitur huiuscemodi: Noli hanc libram falsam percutere, ut scripta poetarum ea penses; noli scriptores ex

falso Romanorum iudicio æstimare. Metaphora est Horatiana; cf. Hor. Ep. II. 1, 28—30:

> Si, quia Graiorum sunt antiquissima quæque
> Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
> Scriptores trutina . . .

— *nec te quaesiveris extra*, sis contentus, si tibi ipsi satisfacis, plausum imperitæ turbæ noli captare. Hæc est αὐτάρκεια illa sapientis, quam summopere appetendam esse dixerunt Stoici. Cf. Enchir. Epict. c. 30: Οὐ δεῖ ἔξω στραφῆναι πρὸς τὸ βούλεσθαι ἀρέσαι τινί.

V. 8—11. *Nam Romae est quis non . . .*, supple: stultus; secretum, quod hic reticet, infra vs. 121. aperte dicit poeta: «Auriculas asini quis non habet?» — *Ac si fas dicere . . . sed fas*, supple: si fas est mihi dicere verum, dicam; sed certe fas est verum dicere. Videtur ante oculos habuisse versum Sophoclis (fragm. inc. 678, 14. Dind.): εἴ μοι θέμις, θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν et certe proprium est satiræ dicere verum; cf. infra vss. 107—108: «Sed quid opus teneras mordaci radere *vero* Auriculas» et Hor. Sat. I. 1, 24: «ridentem dicere *verum*.» Verum autem statim dicit poeta vss: 9—11. — *Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste Aspexi et nucibus facimus quaecumque relictis, Cum sapimus patruos, tunc, tunc, ignoscite*; elliptice dictum, supplendum ita: «Tunc, cum aspexi nostros vetulos et hanc nostram vitam tristem et ea, quæ facere solemus pueritiam egressi, cum iam patruorum severitatem affectamus, tunc, tunc, ignoscite, facere non potui, quin satiras scriberem». Sed interlocutor sententiam ad finem perduci non sinit; statim enim, postquam audivit: *ignoscite*, respondet: «*Nolo*», id est: nolo tibi ignoscere satiras scribenti. Conferendus est Juvenalis, qui Sat. I. vss. 22—29. vitia temporis sui

verba poetæ. Multos offendit, quod coniunctio adversativa *sed* nihil videtur habere, quo referatur. Sed omnia plana fiunt collato Hor. Sat. II. 1, 5, ubi poeta satiras scripturus Trebatium interrogat: «Quid faciam, præscribe,» isque respondet: «Quiescas». Hunc locum ante oculos habuit Persius, quare verba eius hunce in modum sunt supplenda: «Quid faciam? Quiescam? Sed sum» etc. Cf. etiam Hor. Sat. II. 1, 24—29:

> Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
> Accessit fervor capiti numerusque lucernis;
> Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
> Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
> Milia; me pedibus delectat claudere verba
> Lucili ritu.

— *petulanti*, cf. Fest. p. 206. Muell. (p. 250. ed. Thewrewk): «Petulantes et petulci etiam appellantur, qui protervo impetu et crebro petunt lædendi alterius gratia». — *splene*, cf. scholia: «Secundum physicos dicit, qui dicunt homines *splene ridere*, felle irasci, iecore amare, corde sapere»; Plin. N. H. XI. 205: «Et per vulnus exempto (liene) vivere animalia dicunt. Sunt qui putent adimi simul risum homini intemperantiamque eius constare lienis magnitudine»; Seren. Sammon. 426. (ed. Baehrens): «Splen tumidus nocet et risum tamen addit ineptum». — *cachinno*, derisor, qui alios libenter deridet; ἅπαξ εἰρημένον. Apud Lucilium sæpius occurrunt talia nomina substantiva in *o* desinentia, ut *conbibo* (l. XXVI. vs. 66. ed. Luc. Mueller), *comedo* (V. 41.), *catillo* (XXVIII. 44.), *mando* (inc. 163.). Persius igitur hoc verbum aut a Lucilio sumpsisse aut ad similitudinem Lucilianorum finxisse videtur.

Pars prima (v. 13—30.) *Castigantur poetæ mali,*

qui non divino quodam afflatu incitati, sed eo tantum consilio scribunt, ut carmina sua convocatis auditoribus recitent et quovis modo plausum eorum captent.

V. 13—14. *Scribimus inclusi,* scilicet parietibus domus nostræ inclusi, in secessu. — *numeros ille,* numeros poeticos, versus, carmina. — *pede liber,* pede liber scribit, qui opus pede metrico liberum, oratione soluta scriptum componit. Similiter opponit prosam orationem numeris poeticis Colum. l. X. præf.: «Quare cultus hortorum ... diligentius nobis ... præcipiendus est: isque, sicut instituëram, *prosa oratione* prioribus subnecteretur exordiis, nisi propositum meum expugnasset frequens postulatio tua, quæ pervicit, ut *poeticis numeris* explerem Georgici carminis omissas partes». — *Grande aliquid,* videntur scriptores illius ætatis grandiloquum dicendi genus præcipue adamasse; cf. infra vs. 68: «Dicere res grandes nostro dat Musa poetæ», V. 7: «Grande locuturi nebulas Helicone legunto»; Sen. Ep. 79, 7: «Jam cupis *grande aliquid* et par prioribus scribere». — *quod pulmo animæ prælargus anhelet,* quod scriptor publice recitans magno pulmonum nisu pronuntiet. — *pulmo animæ prælargus,* pulmo spiritu abundans; *anima* enim hoc loco spiritum significat. Contra Stat. Theb. III. 603. «largum animæ» vocat vitæ prodigum. — *anhelet,* anhelando pronuntiet, ut illi solent, qui gravitatem et sublimitatem affectant. De hoc vitioso verba pronuntiandi genere cf. Cic. De orat. III. 11: «Nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et anhelata gravius» et Quint. Inst. Or. XI. 3, 55: «Sunt, qui crebro anhelitu et introrsum etiam clare sonante imitantur iumenta onere et iugo laborantia. Quod affectant quoque, tamquam inventionis copia urgeantur maiorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ emitti faucibus possit». Cf. etiam ipsius Persii verba V. 10. sq.:

»Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino. Folle premis ventos».

V. 15—16. *Scilicet hæc populo,* referendum ad *leges* vs. 17: tu hæc carmina, quæ domi inclusus scripsisti, publice recitabis; agitur enim de recitationibus publicis Romæ inde ab Augusti temporibus Asinii Pollionis exemplo usu receptis. — *pexusque togaque recenti,* solebant illi, qui publice recitabant, summum adhibere corporis ornatum, quare capillos magna cum cura pectebant togamque induebant recentem. — *Et natalicia tandem cum sardonyche,* anulus sardonyche fulgens, quem poeta die natali suo gestare solet; eo enim die Romani summum adhibebant ornatum. Cf. scholia: «Quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt». — *tandem,* significat impatientiam poetæ, qui vix exspectare potuit tempus, quo carmina sua tandem aliquando populo recitaret. — *sardonyche,* gemma pretiosissima, de qua Plin. N. H. XXVIII. 85: «Primus autem Romanorum sardonyche usus est Africanus prior . . . et inde Romanis gemmæ huius auctoritas.» Cf. verba Juvenalis (VII. 143. sq.) de paupere causidico: «ideo *conducta* Paulus agebat *Sardonyche* atque ideo pluris quam Gallus agebat.» — *albus,* albatus, alba veste indutus. Etiam Horatius *cunnos albos* vocat (Sat. I. 2, 36.) matronas albatas, i. e. alba veste (stola) indutas. Solebant enim Romani die potissimum natali, tum etiam aliis festis diebus toga candida uti; poeta igitur albatus et anulo pretioso ornatus diem recitationis æque ac natalem suum celebrat. Cf. Hor. Sat. II. 2, 60:

> Ille repotia, natales aliosve dierum
> Festos albatus celebret.

Eodem pertinent verba Ovidii (Trist. III. 13, 13—14) ad Natalem suum poetice personificatum:

Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex umeris vestis ut alba meis.

Cf. etiam. quæ de natali uxoris (Trist. V. 5. 6—7.) dicit:

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

V. 17—18. *Sede leges celsa,* pulpitum, ubi sedentes recitabant poetæ. — *liquido cum plasmate,* ii, quibus publice dicendum erat, magna cum cura vocem exercebant auxilio phonascorum; cf. Suet. Aug. 84: «Pronunciabat Augustus dulci et proprio quodam oris sono dabatque assidue phonasco operam». Vocem exercere est Græce πλάττειν φωνήν, ipsum autem vocis formandæ artificium, quod suavem quandam modulationem voci dat, πλάσμα; cf. Prob. Verg. ecl. præf. p. 349. Lion: «Quoniam (Aeneida) plasmate legi voluit». Hoc plasmate multi abutebantur, quare Quint. Inst. Or. I. 8. 2. dicit: «Sit autem imprimis lectio virilis ... non in canticum dissoluta, nec plasmate, ut nunc a plerisque fit, effeminata». Hanc effeminatam plasmate lectionem videtur hoc loco Persius reprehendere velle. Plasma autem *liquidum* vocat, quia vocem liquidam reddit, ut prol. 4. Pirenen *pallidam,* quia homines pallidos facit; simile est apud Hor. Sat. II. 5. 98: «Crescentem *tumidis* infla sermonibus utrem», ubi *tumidum* vocatur, quod tumere facit, tumidum reddit. — *conlueris,* sensu translato: plasma, ut potus quidam, guttur quasi colluit, collinit, emollit. — *patranti fractus ocello,* cuius oculi libidine fracti sunt, quod omnino convenit homini, qui, ut infra elucet, lasciva carmina recitat. *Patrare* significat hoc loco rem Veneream consummare; *patratio* enim, ut scholia explicant et Th. Prisc. 2, 11. testatur, interdum rei Venereæ consummationem

significat. Cf. præterea, quæ de hoc verbo Porphyrio dicit ad Hor. Sat. I. 5, 84.

V. 19—21. *Tunc,* ita codex Montepessulanus 125; contra Montepessulanus 212. et codex tabularii basilicæ Vaticanæ 36. H. habent: *hic,* quod æque aptum efficit sensum. — *neque more probo videas nec voce serena,* ablativi iungendi sunt cum *trepidare* vs. 20. — *neque more probo,* malo more. — *nec voce serena,* non clara, sed rauca vel fusca voce, qualis solet esse vox eorum, qui assiduis comissationibus dediti sunt. Auditores scilicet tali voce acclamant recitatori solitas laudes: «Euge, belle», de quibus vide infra ad vs. 49. — *ingentis . . . Titos* ita appellat nobiles Romanos, tamquam nepotes Titi Tatii, Sabinorum regis, a quo antiquissima Titiensium tribus (cf. Paul. Fest. s. v. p. 558. ed Thewrewk) nomen accepit; cf. Laurent. Lyd. de mag. I. 9: καὶ Τίτους (ἐκάλεσαν) τοὺς ἐκ προγόνων εὐγενεῖς, ὥς φησι Ἱέρσιος ὁ Ῥωμαῖος. Eosdem infra vs. 31. *Romulidas* nominat. Acerbissima huic appellationi inest ironia: proceres enim libidinosi degeneraverunt a tetrica illa Sabinorum disciplina, quæ Tatii tempore vigebat; cf. Prop. II. 32, 47—48:

Qui quærit *Tatios* veteres durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.

Titos pro nepotibus Titi dixit Persius eadem ratione, qua infra vs. 87. *Romulum* posuit pro Romano, Romuli nepote. Ironice usurpatur etiam epitheton *ingentis,* quod heroibus convenit carmine epico celebratis (cf. Verg. Aen. VI. 412—413: «simul accipit alveo Ingentem Aenean»), non autem illius temporis proceribus, quorum mollitiem carpit poeta. — *trepidare* est motu corporis animi affectionem, hoc loco gaudium et voluptatem, demonstrare. Cf. II. 54: «lætari

prætrepidum cor» ; Arnob. VII. 4 : «trepidare lætitia». Eodem pertinet infra vs. 82 : «Trossulus *exsultat* (sc. gaudio) tibi per subsellia levis». — *cum carmina lumbum Intrant,* cum carmina lasciva recitantis quasi descendunt in lumbum auditorum, libidinis sedem. Cf. Juv. VI. 314—315 :

> Nota bonæ secreta deæ, cum tibia *lumbos*
> Incitat.

— *tremulo . . . versu,* versu tremula voce pronuntiato. Cf. Tibul. I. 2, 91 : «Et sibi blanditias tremula componere voce». — *scalpuntur,* titillantur ; cf. Juven VI. 195—196 : «quod enim non excitat inguen Vox blanda et nequam? Digitos habet».

V. 22—23. *Tun, vetule,* Persius alloquitur poetam recitantem. — *vetule,* ut supra vs. 9. *canities* et vs. 56. *calve,* non senem significat, sed talem hominem, quem vita libidinosa ante diem senem et debilem fecit. Cf. Petron. 28 : «Deliciæ eius, puer vetulus» ; Mart. I. 41, 13 : «bucca vetuli cinædi». — *auriculis alienis colligis escas,* ideo recitas, ut aliis pares voluptatem lascivis carminibus? *Esca aurium* est, quod iucundum est auditu, Germanice *Ohrenschmaus ;* cf. Aelian. V. H. III. 1 : Κατάδουσι δὲ καὶ ὄρνιθες . . . καὶ ἑστιῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς. De *esca* pro voluptate cf. adnotationem ad II. 154 : «duplici in diversum scinderis hamo». — *Articulis quibus et dicas cute perditus : Ohe ;* hoc loco codices habent : *auriculis,* quod Madvig (Adv. crit. II. p. 128) Prisciani (III. 6. p. 613) testimonio usus rectissime in *articulis* mutavit totumque versum, quem priores interpretes probabili ratione explicare non potuerant, hac levissima mutatione reddidit explicabilem. *Articulis* enim est ablativus, et, ut etiam *cute,* iungendum cum *perditus, quibus* autem est dativus et referendum ad *escas.* Ceterum

cf. ipsa Madvigii verba: «Vetulus ille alienis auriculis escas (i. e. voluptates) colligit, quibus ipse *ohe* dicere (i. e. valedicere) cogitur, corpore fracto et debili libidinosæ voluptati ineptus. Debile autem corpus eo significatur, quod *cute perditus* dicitur, hoc est aqua intercute æger, huic adiungitur alter morbus, articulorum arthritide fractorum». — *Articulis . . . perditus*, arthritide laborans, morbo libidinosorum; cf. V. 57—59: «ille In Venerem putris: sed cum lapidosa *cheragra* Fregerit articulos, veteris ramalia fagi» etc. — *cute perditus*, cuius cutis hydrope ægra est, hydropicus; cf. duos Persii de hydropicis locos, III. 63—64: «Elleborum rastra, cum iam *cutis ægra* tumebit, Poscentis videas» et III. 95: «Quidquid id est, surgit tacite tibi lutea pellis». — *Ohe*, idem fere significat, quod *satis est*; cf. Hor. Sat. I. 5, 12: «ohe Iam satis est»; Mart. IV. 89. 1: «Ohe, iam satis fest, ohe libelle». Hoc loco *escis ohe dicere* significat voluptatibus amatoriis valedicere.

V. 24—25. *Quo didicisse, nisi hoc fermentum et, quæ semel intus Innata est, rupto iecore exierit caprificus?* Cur didici, si ea, quæ animo excogitavi, in publicum proferre non possum? interrogat poeta ille *vetulus*, quem Persius vss. 22—23. allocutus est. — *Quo* pro *cur*, sicut Hor. Sat. I. 6, 24: «Quo tibi, Tilli, Sumere depositum clavum fierique tribuno?» — *fermentum*, ut fermentum massam farinæ turgescere facit et rumpit, ita eruditio in animo contineri non potest, sed gestit prodire in publicum. — *rupto iecore*, iecur est antiquorum sententia sedes affectuum animi (τῶν παθῶν), hoc loco cupiditatis gloriæ. Cf. V. 129—130: «sed si intus et in iecore ægro Nascuntur domini» et adnotationem ad h. l. — *caprificus* in commissuris saxorum orta, dum crescit, saxa dirumpit. Cf. Juv. X. 145: «ad quæ Discutienda valent sterilis mala robora fici».

V. 26—27. *En pallor seniumque!* En hæc est causa palloris atque curarum tuarum: tu enim non vero studiorum amore, sed vana gloriæ cupiditate duceris, ait Persius. — *pallor,* quia litterarum studiosi assiduis lucubrationibus pallent; cf. prol. 4: «pallidamque Pirenen», I. 124: «Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles», III. 85: «hoc est quod palles», V. 62: «At te nocturnis iuvat impallescere chartis»; Quint. Inst. Or. VII. 2, 14: «Nemo exspectet, ut alieno tantum labore sit disertus: vigilandum, attendendum, enitendum, *pallendum* est»; Plin. N. H. XX. 160: «*pallor* . . . color studiis contractus». — *seniumque,* non senectutem, sed curas significat, quæ hominem frangunt; cf. Hor. Ep. I. 18, 47: «inhumanæ senium depone Camenæ». — *O mores,* exclamatio poetæ indignabundi, ut celeberrimum illud Ciceronianum (In Cat. I. 1, 2.): «O tempora, o mores!» — *usque adeone,* cf. Verg. Aen. XII. 644: «Usque adeone mori miserum est»; Juv. III. 84: «Usque adeo nihil est». — *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,* scientia tua nihil valet, nisi alii sciant te hoc scire. Scholia: «Hæc periodus apud Lucilium posita est: *Ut me scire volo dici, mihi consciu si sum, Ne dammum faciam*». Fragmentum Lucilianum pessimis coniecturis deformatum legitur in editione Luc. Muelleri (p. 141. fr. XL. ex libris incertis). — *scire tuum,* scientia tua, infinitivus pro substantivo; cf. adnotationem ad vs. 9: «nostrum istud vivere triste».

V. 28. *At pulchrum est digito monstrari et dicier: hic est;* verba poetæ illius vetuli. — *digito monstrari,* cf. Hor. Carm. IV. 3, 12: «Quod monstror digito prætereuntium». — *dicier,* antiqua infinitivi passivi forma, ut III. 50: «fallier». — *hic est,* hic est vir ille celeberrimus. Notissima est narratiuncula de Demosthene, qui lætatus esse fertur, quotiens homines de plebe eum agnoverint. Cf. Plin. Ep. IX. 23,

cidulum quiddam, carmen quoddam putidum, i. e. ineptum. Cf. Hor. Sat. II. 7, 21: «Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant?» Pro *putidum* dixit Persius *rancidulum* eumque secuti sunt Mart. VII. 34, 7: «Qui sic rancidulo loquatur ore» et Gell. N. A. XVIII. 11, 2: «rancide ficta verba». Formam adiectivi deminutivam e sermone vulgari sumpsit poeta, ut I. 22. «vetulus», I. 54: «horridulus», III. 103: «beatulus», V. 147: «rubellus». — *balba de nare locutus*, de nare balbe; nam, qui de nare loquuntur, hoc vitio obscurum reddunt sermonem, æque ac si balbutiant. *Balbe* enim non solum linguæ vitium, sed etiam talem sermonem significat, qui quacunque de causa intellegi non potest, ut Varronis fragmento docemur apud Non. 80, 7. — *de nare*, Hungarice «orrhangon», Germanice «näselnd». Etiam Romani proceres, ut nostri optimates, de nare loquebantur, ut dialectum quandam propriam, a sermone hominum inferioris ordinis abhorrentem, habere viderentur. Cf. infra vss. 108—110: «videsis, ne *maiorum* tibi forte Limina frigescant, sonat hic *de nare* canina Littera». — *Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid*, appositionum vice funguntur: referenda sunt ad *rancidulum quiddam* (vs. 33.) et iungenda cum verbo *locutus* (vs. 33.) — *Phyllidas, Hypsipylas*, poeta oblique perstringere videtur ineptos Ovidii imitatores, qui carmina elegiaca scripserunt de amoribus heroidum, ut Ovidius de Phyllide, filia regis Thracum, a Demophoonte, Thesei filio, amata (Ep. Her. II.) et de Hypsipyle, regina Lemni, Iasonis amica (Ep. Her. VI.) — *vatum et plorabile si quid*, elegiæ, nam elegia est κατ' ἐξοχήν «flebile carmen». Cf. Hor. A. P. 75—76. de elegia:

> Versibus impariter iunctis querimonia primum,
> Post etiam inclusa est voti sententia compos,

et Ov. Am. III. 9, 3: «*Flebilis* indignos *Elegeia,* solve capillos, A nimis ex vero nunc tibi nomen erit» et Ov. Her. XV. 7: «Flendus amor meus est: elegeia *flebile* carmen». Videntur proceres illius temporis elegias præcipue adamasse; cf. infra vss. 51—52: «si qua elegidia crudi Dictarunt proceres». — *Eliquat et tenero subplantat verba palato,* scilicet: verba eliquat et tenero palato subplantat. — *eliquat* proprie dicitur de vino, quod per colum transfundebant antiqui, ut fæce purgaretur et liquidum fieret; hoc loco significat: verba emollire, nimis molliter pronuntiare. — *subplantat,* Græce ὑποσκελίζειν, proprie dicitur de luctatore, qui adversario pedem supponit, ut eum humi sternat. Recitator igitur verba, priusquam ex ore emittat, palato quasi evertit, hoc est: non recte, sed balbe pronuntiat. Imitatur Hor. Sat. II. 3, 274: «*balba* feris annoso verba palato», id est: balba facis verba annoso palato, quod Persius ita expressit: subplantas verba tenero palato. Verbum subplantandi a Lucilio sumpsisse videtur; cf. Non. 36, 4: «*subplantare* dictum est pedem subponere. Lucilius XXVIII: *Subplantare aiunt Græci*».

V. 36—37. *Adsensere viri.* Gravitatem carminum epicorum ironice imitatur poeta; cf. Verg. Aen. II. 130: «Adsensere omnes»; Ov. Met. IX. 259. et XIV. 592: «Adsensere dei». *Adsentiri* hoc loco idem significat, quod *probare:* auditores et carmen ipsum et artem recitantis probant. — *nunc non cinis ille poetæ Felix?* Nunc non est etiam in sepulcro felix poeta ille mortuus, cum carmina eius a talibus viris laudentur? — *Non levior cippus nunc imprimit ossa?* Cippus est lapis sepulcralis (cf. Hor. Sat. I. 8, 12.), cui sæpe fuit inscriptum: S. T. T. L., id est: sit tibi terra levis. Cf. Verg. Ecl. X. 33—34: «O mihi tum quam molliter ossa quiescant, Vestra meos olim si fistula dicat amores».

V. 38—40. *Laudant convivæ.* Supra vs. 36. *viri* intellegendum est de proceribus, *conviva* autem hoc loco convivas inferioris ordinis, clientes et parasitos, significat. Cf. Hor. Sat. I. 10, 80, Ep. I. 13, 15. et Ov. Trist. II. 359—360: «Accius esset atrox, *conviva* (i. e. parasitus) Terentius esset, Essent pugnaces, qui fera bella canunt». — *nunc non e manibus illis, Nunc non e tumulo fortunataque favilla Nascentur violæ ?* Antiqui piis votis optare solebant, ut tumuli mortuorum carorum semper floribus ornarentur. Cf. Juv. VII. 207—208:

> Di, maiorum umbris tenuem et sine pondere terram
> Spirantisque crocos et in urna perpetuum ver.

— *e manibus illis,* manes hoc loco non animam mortui, sed reliquias corporis significant, ut Prop. II. 13, 31—32:

> Deinde ubi suppositus *cinerem* me fecerit ardor,
> Accipiat *manes* parvula testa meos.

— *fortunataque favilla,* idem, quod supra vss. 36—37: «cinis felix». — *violæ,* solebant antiqui sepulcra violis præcipue ornare videturque *dies violaris,* quod in inscriptionibus occurrit (Fabrett. Inscr. 443, 724), significasse diem, quo sepulcra violis coronabantur.

V. 40—41. *Rides, ait* etc. Hæc (vss. 40—43.) iam non poeta vetulus, sed interlocutor ille dicit, quem poeta initio satiræ induxit loquentem. Cf. Hor. Ep. I. 19, 43—44: «Rides ait, et Iovis auribus ista Servas». — *Rides,* tu non serio agis, sed nos derides. — *ait* sine subiecto, ut infra vs. 85: «Fur es, ait Pedio» sc. accusator. — *et nimis uncis Naribus indulges,* plus æquo nos contemnis. *Uncæ nares,* ut apud Horatium *nasus aduncus,* contemptum significant. Cf. Hor. Sat. I. 6, 3—6:

Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Ut plerique solent, *naso* suspendis *adunco*
Ignotos, ut me libertino patre natum,

et Kiesslingii adnotationem ad hunc locum: «Die Nase so hoch zu tragen, dass man einen Anderen daran wie an einem Haken *(adunco)* aufhängen könnte, ist stärkster Ausdruck der Hoffahrt; ebenso heisst es Sat. II. 8, 64: «*Balatro suspendens omnia naso*». Cf. etiam Hor. Ep. I. 19, 45: «naribus uti».

V. 41—43. *An erit, qui velle recuset Os populi meruisse.* An erit quisquam, qui nolit carminibus emerere, ut in ore populi vivat? — *velle recuset,* fortius dictum pro *nolle.* Cf. VI. 15—16: «usque recusem Curvus ob id minui senio». — *os populi,* cf. celeberrimum Ennii dictum apud Cic. Tusc. Disp. I. 15, 34: «volito vivus per ora virum», quod etiam Vergilius imitatus est Ge. III. 8—9: «Temptanda via est, qua me quoque possim Tollere humo victorque virum volitare per ora». — *meruisse,* inf. perf. pro inf. præs. sæpius occurrit apud Persium, ut I. 91, 132; II. 66; IV. 7. 17; V. 24, 33; VI. 3, 17, 77. — *cedro digna locutus,* cuius libri digni sunt, qui oleo cedrino inungantur et conserventur. Cf. Hor. A. P. 331—332: «speramus carmina fingi Posse linenda cedro.» De oleo cedrino vide Vitruv. II. 9, 13: «Ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur, quo reliquæ res cum sint unctæ, uti etiam libri, a tineis et a carie non læduntur». — *nec scombros metuentia carmina nec tus,* cf. scholia: «Quæ carmina nullum periculum habeant apud salsamentarios et turarios». Libri enim poetarum malorum, qui vendi non poterant, a bibliopolis in tabernas migrabant salsamentariorum, qui merces suas chartis involvebant. Ce-

terum poeta hoc loco Catullum et Horatium imitatus est: cf. Catull. 95. 7—8:

> At Volusi Annales Paduam morientur ad ipsam
> Et laxas *scombris* sæpe dabunt tunicas;

Hor. Ep. II. 1. 269:

> Deferar in vicum vendentem *tus* et odores
> Et piper et quicquid chartis amicitur ineptis.

Pars tertia (v. 44—62.) *Vera laus certe optanda est poetae, sed non imperitorum plausus. Imperiti enim etiam ineptissimo poetae applaudunt; maxime autem adulantur divites carmina scribentes, qui cenis donisque laudes auditorum venantur; sed eosdem, quos modo in os laudabant, a tergo derident.*

V. 44—47. *Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci;* poeta alloquitur interlocutorem illum innominatum, quem vs. 2. induxit et postea etiam vss. 3. 11. 40—43. sibi «ex adverso dicere fecit.» — *si forte quid aptius exit* sc. ex officina mea scriptoria; *exire* enim opera dicuntur ex officina artificis. Cf. Cic. Parad. pr. 5: «Non est enim (opus), ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ, sed tamen, ut ex eadem officina exisse appareat». — *quando* pro: quoniam, ut apud Cic. De fin. V. 8, 21: «Sed quoniam non possunt omnia simul dici, hæc in præsentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, *quando* ad maiora quædam, ut iam apparebit, nati sumus», Hor. Sat. II. 5, 9—10: «*Quando* pauperiem missis ambagibus horres, Accipe, qua ratione queas ditescere». — *rara avis est*, cf. scholia: «Translatio est a phœnice. Proverbialiter raram avem, eam, quam post longum tempus videmus»; Senec. Matrim. ed. Haase t. III. p. 430. 56: «Aut si bona fuerit et suavis uxor, quæ

tamen rara avis est»; Juv. VI. 165: «Rara avis in terris nigroque simillima cycno». — *Laudari metuam*, ut apud Hor. Ep. I. 16. 60: «metuens audiri». — *neque enim mihi cornea fibra est*, non sum adeo sine sensu, ut laudem omnino respuam. Intellegenda est fibra intestinorum, ut iecoris, cordis, pulmonis; quare *fibra* hoc loco et III. 29. ponitur pro pectore, corde aut præcordiis et significat sedem sensus et animi; cf. Tibull. I. 1. 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta.» *Fibra* autem *cornea* dicitur, quia corneum (quasi ex cornu factum) vocabant Romani, quicquid rigidum et sine sensu esset; cf. Plin. N. H. VII. 19, ubi eosdem, quos Græci ἀπαθεῖς nominant, *corneos* Latine vocari affirmat.

V. 48—49. *Sed recti finemque extremumque esse recuso «Euge» tuum et «belle»*, id est: non concedo laudem esse summum bonum. Est enim dogma Stoicorum, quibus Persius addictus erat, virtutem esse summum bonum; bonam autem famam sive gloriam adnumerant iis rebus, quæ *præposita* (Græce προηγμένα) vocant, dicuntque eam non esse, ut virtutem, per se expetendam. Cf. Cic. De fin. III. 17, 57. — *recti finemque extremumque*, idem significat, quod summum bonum sive finis bonorum, Græce τέλος τῶν ἀγαθῶν. Cf. definitionem summi boni apud Ciceronem (De fin. II. 2, 5): «Nam hunc ipsum sive *finem* sive *extremum* sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quæ *recte* fierent, referrentur». — *recuso* cum accusativo et infinitivo coniunctum raro occurrit; cf. Tac. Ann. I. 79: «Nec Reatini silebant Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes». — «*Euge*» *tuum et «belle»*; auditores recitationum solebant, si quid iis placebat, acclamare recitantibus: *euge* (εὖγε), *belle* et, quod infra vs. 84. legimus, *decenter*. Eandem rem attigit Hor. A. P. 427—428:

Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim: pulchre, bene, recte.

V. 49—53. *Nam «belle» hoc excute totum,* accuratius inspice hanc laudem, quam recitatores reportare solent. *Excute,* tamquam sinum togæ, ut, quidquid insit, decidat. Cf. V. 22: «Excutienda damus præcordia». VI. 75—76: «excute sollers Omne latus mundi.» — *quid non intus habet?* Quid non continet hæc laus? Quid est, quod tu laudibus prosequi dedigneris? — *Non hic est,* i. e. non inest in hac laude? — *Ilias Atti,* sc. Attii Labeonis, de quo vide, quæ ad vs. 4. adnotavimus. — *ebria veratro,* cuius poeta quasi inebriatus est multo elleboro sumpto; nam, quod Græce *elleborum,* Latine *veratrum* vocatur. Elleborum autem, cuius duo sunt genera, album *(veratrum album L.)* et nigrum *(helleborus orientalis Willd.),* erat apud antiquos diversorum morborum medicamentum, sed utebantur eo etiam illi, qui studiis invigilabant. Cf. Plin. N. H. XXV. 21, 51: «Nigrum (elleborum) alii encymon vocant, alii polyrrhizon, purgat per inferna, candidum autem vomitione, causasque morborum extrahit, quondam terribile, postea tam promiscuum, ut plerique *studiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur,* sæpius sumptitaverint.» Persius igitur Attium Labeonem deridet eumque talem poetam esse dicit, qui non divino quodam afflatu, ut veri poetæ, sed elleboro sæpissime sumpto incitatus carmina scribat. — *non, si qua elegidia crudi Dictarunt proceres;* carmina, quæ proceres post cenam dictant servo cuidam (notario) describenda. Cf. Hor. Ep. I. 109—110:

. . . . pueri patresque severi
Fronde comas vincti cenant et carmina dictant.

— *elegidia,* parvas elegias; forma deminutiva contemptum significat. Cf. Hor. A. P. 77: «exiguos elegos.» Hoc molle poeseos genus proceres Romani id temporis potissimum adamasse videntur; cf. supra vs. 34: «Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid» et adnotationem ad h. v. — *crudi,* post cenam, cibo vinoque repleti, cum ne mente quidem recte uti possunt. Cf. supra vs. 31: «Romulidæ saturi» et adnotationem ad h. l. — *non quidquid denique lectis Scribitur in citreis,* quod homines divites in lectis suis pretiosis iacentes conscribunt. — *lectis,* sc. in lecto lucubratorio: solebant enim Romani in lectis cubantes legere et scribere. Cf. Suet. Aug. 78: «A cena in *lecticulam* se *lucubratoriam* recipiebat (Augustus): ibi, donec residua diurni actus aut omnia aut ex maxima parte conficeret, ad multam noctem permanebat». — *citreis,* ex arbore odorata *citro* factis. *Citrus* autem hoc loco non *malum Medicam* (Hungarice: czitromfa, Germanice: Citronenbaum) significat, sed *thyiam Mauretanicam* (Græce θύον sive θυΐα), quam viri docti hodie *thuiam orientalem L.* vocant. Ex hac arbore, cuius patria Africa est, pretiosissimæ supellectiles perficiebantur, quas maximo pretio emebant divites Romani. Cf. Plin. N. H. XIII. 15, 91: «Confines ei Mauri, quibus plurima arbor *citri* et *mensarum insania,* quas feminæ viris contra margaritas regerunt».

V. 53—55. *calidum scis ponere sumen, Scis comitem horridulum trita donare lacerna;* poeta castigat perversum morem divitum scriptorum, qui cenis donisque laudatores sibi conducebant. Eandem rem attigit iam Horatius, quem Persius ante oculos habuit, Ep. I. 19, 37—38: «Non ego ventosæ plebis suffragia venor Impensis cenarum et tritæ munere vestis». — *ponere,* i. e. cibos convivis apponere, ut III. 111: «positum est algente catino Durum olus et populi

cribro decussa farina». V. 3: «Fabula seu mæsto ponatur hianda tragœdo», VI. 23: «rhombos libertis ponere lautus»; cf. Hor. A. P. 422. sqq.: «unctum qui recte ponere possit... mirabor, si sciet inter Noscere mendacem verumque beatus amicum». — *sumen*, abdomen scrofæ cum mammis, quod apud Romanos in summis deliciis habebatur. Cf. Plin N. H. VIII. 209: «Hinc censoriarum legum paginæ interdictaque cenis *abdomina*, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publi mimorum poetæ cena, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine *abdomine*, etiam vocabulo *suminis* ab eo imposito». — *comitem*, ita vocantur clientes, qui patronos in urbe comitari solebant; cf. Juv. I. 46: «Cum populum gregibus comitum premit hic spoliator». — *horridulum*, frigore horridum, frigore percussum. Agitur de pauperibus, qui carent vestimentis ad arcendum frigus aptis. Forma deminutiva contemptum significat. Cf. Juv. I. 93: «horrenti tunicam non reddere servo». — *trita... lacerna*, genus vestimenti, quo Cæsarum temporibus pro toga utebantur Romani; patronus igitur sordidus lacernam suam longo usu tritam dat clienti. — *Et: Verum, inquis, amo, verum mihi dicite de me*, sc. de carminibus meis. Similiter apud Plautum (Most. 181.) puella ancillæ, ex qua de pulchritudine sua quærit, dicit: «Ego verum amo, verum volo dici mihi, mendacem odi».

V. 56—57. *Qui pote?* Quomodo potis est (potest) cliens a te ad cenam invitatus et lacerna donatus tibi dicere verum? — *pote* pro *potis* archaismus, ut *mage* pro *magis*; cf. Prop. IV. 7, 9:

Et mater non iusta piæ dare debita terræ
Nec *pote* cognatos inter humare rogos,

et II. 1, 46: «Qua *pote* quisque, in ea conterat arte diem».

— *Vis dicam?* Vis dicam tibi verum ego, qui non sum cliens tuus? — *Nugaris*, nugas agis, cum scribis; carmina tua meræ nugæ sunt. — *cum tibi, calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet*, homo obesus es, ventri magis quam litterarum studio deditus, quare bonus poeta esse non potes. — *calve*, ut supra vs. 9: «canities» et vs. 22. «vetulus» hominem significat vitæ luxuriosæ deditum, qui vitiis suis ante diem senex et calvus factus est. — *Pinguis aqualiculus*, aqualiculus proprie ventriculum sive stomachum significat, ubi cibi concoquuntur; cf. Sen. Ep. 90, 22: «Cibus cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore coquitur». Persius transtulit ad externum ventris habitum, ad obesitatem, quod apud antiquos pigritiæ stultitiæque indicium erat. Vide scholia: «Tractus sensus ex Græco versu, quo significatur ex ventre crasso tenuem sensum non nasci». Græcus versus legitur apud Galenum (5. p. 878. K.) editusque est a Nauckio (Trag. fragm. p. XV²): Γαστὴρ παχεῖα λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. — *propenso sesquipede exstet*, sc. ex corpore tuo. — *propenso*, propensum est, quod eminet, ut apud Solinum (20, 6): «labrum superius propensum»; cf. Capit. Gord. 19, 4: «natura (membrum virile) propensior». Ceterum codex Montepessulanus 212 et codex tabularii basilicæ Vaticanæ 36 H. habent: *protenso*, quod æque aptum reddit sensum.

V. 58—60. *O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit;* o Jane bifrons, felix es tu duplici facie, qui vides, quod a tergo et quod ante te est; nam te non potest is, qui modo in os laudavit, mox a tergo deridere. Poeta scilicet vss. 58—60. describit tres modos, quibus antiqui derisum significare solebant. Cf. Hieronymi verba (ep. IV. t. IV. 2. p. 776. Ben.), quibus Persium imitatus est versusque eius optime interpretatur: «Ne credas laudatoribus tuis, immo irrisori-

bus aurem ne libenter accommodes. qui cum te adulationibus foverint et quodam modo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut *ciconiarum* deprehendes post te *colla curvari,* aut *manu auriculas* agitari *asini* aut *aestuantis canis* protendi *linguam*». — *ciconia,* gestus derisum significans; cf. Hieronymi verba supra allata et eiusdem Prol. in Sophon. (t. III. p. 1642. Ben.): «Nunquam post tergum meum *manum incurvarent in ciconiam*», unde elucet antiquos derisionem ita significasse, ut bracchio manu digitisque ciconiæ collum et rostrum imitarentur. — *pinsit,* ciconia quasi rostro percutit tergum eius, qui deridetur. — *Nec manus auriculas imitari mobilis albas* sc. pinsit, quod e vs. 58. zeugmate etiam huc referendum est. — *auriculas . . . albas,* aures asininas, quarum interna pars villos habet albentes. Cf. Ov. Met. XI. 174. sq. de rege Mida, cui Apollo aures asininas dedit: «Delius aures . . . villisque *albentibus* implet Instabilesque imas facit et dat posse *moveri*». — *imitari mobilis,* Græco more infinitivo addito, ut prol. 11: «artifex sequi», I. 70: «ponere lucum Artifices», I. 118: «Callidus excusso populum suspendere naso», II. 54: «lætari prætrepidum cor», III. 51: «Neu quis callidior buxum torquere flagello», IV. 16: «melior sorbere», V. 15: «pallentis radere mores Doctus et ingenuo culpam defigere ludo», V. 24: «pulsa dinoscere cautus», V. 37: «fallere sollers», VI. 5—6: «Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto Egregius lusisse senex», VI. 23: «ponere lautus», VI. 24: «sollers turdarum nosse salivas». — *Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantae,* supplendum, ut supra vs. 59., *pinserunt;* nec linguas tantas ex ore extenderunt derisores, quantam exserit canis Apula sitiens. Cf. Lucan. I. 259 sqq.: «quantum rura silent... tanta quies». — *sitiat canis Apula,* quia in Apulia magna erat penuria aquarum. Cf.

Hor. Epod. 3, 15—16: «Nec tantus unquam siderum insedit vapor *Siticulosae* Apuliæ».

V. 61—62. *Vos, o patricius sanguis*, cf. Hor. A. P. 291: «Vos, o Pompilius sanguis.» — *quos vivere fas est Occipiti cæco*, quibus natura oculos in occipite non dedit, qui non habetis, ut Janus, faciem duplicem. — *posticæ occurrite sannae*, cavete, ne adulatores vos a tergo derideant. Idem fere Horatius poetam monet A. P. 436: «si carmina condes, Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.» — *sannæ*, irrisionis genus, quod vultus distortione fit, ut V. 91: «ira cadat naso rugosaque sanna». Cf. Juv. VI. 305: «qua sorbeat aera sanna Tullia».

Pars qvarta (v. 63—75.) *Adulatores in carminibus procerum et divitum molles numeros potissimum laudant et, quod etiam in argumento humili grande quiddam sonent. Quare poetæ mali, talibus laudibus seducti, etiam ad heroica carmina scribenda se accingunt, cum vires eorum ne ad leviora quidem sufficiant.*

V. 63—65. *Quis populi sermo est?* Quid dicit populus de carminibus poetæ divitis vss. 53—55. inducti. — *Quis enim? Enim* in interrogatione, ut Græcorum τί γάρ. Sæpissime apud scriptores Latinos occurrit *quid enim*, ut Hor. Sat. I. 1, 7; II. 3, 132 et 166. — *carmina molli Nunc demum numero fluere*, versus molles ætate Persii maxime probabant lectores, ut infra vss. 92—102. docemur, quam mollitiem, ut parum virilem, carpit Persius vss. 103—104. — *molli . . . numero*, molli rhythmo. — *Nunc demum*, nunc denique, hoc tempore, quo poeta ille vss. 53—55. commemoratus versus facit. — *ut per leve severos Effundat iunctura ungues*, cf. apud Hor. Sat. I. 5, 32—33: «ad unguem factus homo» et A. P. 292—294: «carmen reprehendite, quod non Multa dies et multa litura coercuit atque Præse-

ctum deciens non castigavit ad unguem.» Metaphoram optime explicat Porphyrio ad Hor. Sat. I. 5, 32: «Translatio a marmorariis ducta, qui iuncturas marmorum tum demum perfectas dicunt, si unguis superductus non offendat.» Sensus est igitur huiuscemodi: partes singulæ versuum ita sunt inter se coniunctæ, ut in pariete marmoreo lapides, quorum iunctura ungues artificis perlabi sinit. — *per leve,* super levem (planam) superficiem; cf. Hor. Sat. II. 7, 86—87: «teres atque rotundus, Externi ne quid valeat *per leve* morari». — *severos . .*, *ungues,* ungues artificis severi. — *effundat,* exspectares *effugiat;* sed Persius, insolitarum locutionum captator, scripsit *effundat,* id est: iunctura tam apta est, ut ungues in se penetrare non sinat, sed quasi eiiciat ex se. Cf. Liv. XXI. 3, 11: «Equus repente corruit consulemque lapsum super caput effudit.» — *iunctura,* iuncturæ versuum sunt cæsuræ, quibus singulæ versuum partes insolubiliter coaptantur. Cæsuræ autem artificiose dispositæ mollem reddunt rhythmum.

V. 65—68. *Scit tendere* etc. verba populi poetam vs. 53. inductum laudantis. — *Scit tendere versum Non secus ac si oculo rubricam derigat uno,* versus facit quasi *ad lineam,* id est: versus rectos, lege artis perfectos. Cf. locutionem notissimam: *ad amussim aliquid facere.* — *tendere versum,* versum in rectam lineam extendere, ut funiculum rubro colore oblitum fabri extendere solent, cum rectam lineam volunt facere. Cf. V. 38: «Adposita intortos extendit regula mores». — *oculo rubricam derigat uno,* hoc loco *rubrica* significat funiculum illum rubro colore oblitum, quæ *linea* proprie vocatur, qua fabri uti solent ad rectam lineam faciendam. Hanc derigunt altero oculo clauso, ut quam accuratissime cernant. Cf. Lucian. Icaromenipp. 14: Ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἑωρακέναι μοι δοκῶ θα-

τέρψ τῶν ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπενθύνοντας τὰ ξύλα. — *Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ,* vel si (etiam si) satiras scribit poeta noster, *grande aliquid* (cf. vs. 14.) inest in carminibus eius, quod eo magis admirari licet, quia satira est humillimum poeseos genus. Horatius satiras suas *sermones humi repentes* nominat Ep. II. 1, 250. et *Musam pedestrem* Sat. II. 6, 17. — *Sive* pro *vel si,* ut Tib. I. 6. 21—22:

Exibit quam sæpe, time, *seu* visere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

— *in mores, in luxum,* proprium est satiræ in mores corruptos et in luxum hominum invehi. — *in prandia regum,* in epulas luxuriosas procerum, ut apud Hor. Sat. II. 2, 45: «epulis regum». Proceres, homines divites et potentes, *reges* appellat Horatius etiam Sat. I. 2, 86; Ep. I. 10. 33.; præsertim clientes ita appellabant patronos, ut elucet Hor. Ep. I. 7. 38; 17. 43. — *res grandes,* vide, quæ ad vs. 14. adnotavimus. — *nostro poetæ,* poetæ ex vss. 53—55. noto.

V. 69—70. *Ecce modo heroas sensus adferre videmus Nugari solitos Græce,* ecce nunc heroica carmina scribere videmus tales poetas, qui huc usque nihil nisi parva et levia carmina scribere solebant Græce. — *modo,* hoc loco ad præsens tempus referendum est et idem fere significat, quod *nunc.* Cf. Ter. Ad. 289: «Modo dolores . . . occipiunt primulum»; Tib. I. 1, 25: «Iam modo iners possim contentus vivere parvo.» — *heroas sensus,* carmina epica heroicos sensus continentia. — *heroas,* substantivum adiective positum, ut VI. 74: «popa venter.» — *adferre,* fortasse corruptum. Exspectares: *efferre;* cf. Hor. A. P. 111: «Post *effert* animi *motus* interprete lingua». — *Nugari,* carmina parva et levia facere. Carmina sua *nugas* appellant et Ca-

tullus et Horatius. Cf. Cat. I. 4: «Meas esse aliquid putare nugas»; Hor. Ep. I. 19. 42: «Scripta pudet recitare et nugis addere pondus», Ep. II. 2. 141: «Nimirum sapere est abiectis utile nugis.» — *Græce,* Græca poemata sæpissime scripserunt Romani, præsertim proceres. Ipse Horatius se hoc fecisse fatetur Sat. I. 10, 31—32: «Atque ego cum Græcos facerem natus mare citra Versiculos».

V. 70—72. *nec ponere lucum Artifices nec rus saturum laudare;* heroum facta celebrare volunt poetæ tales, quibus ne ad minora quidem, quæ iam in locos communes abierunt, qualia sunt luci descriptio et laus vitæ rusticæ, vires sufficiunt. — *ponere lucum,* describere lucum; *ponere* proprie dicitur de artificibus statuas aut picturas facientibus. Cf. Hor. Carm. IV. 8, 6—8:

> Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
> Hic saxo, liquidis ille coloribus
> Sollers nunc hominem ponere nunc deum;

Ov. A. A. III. 401: «Si Venerem Cous nunquam posuisset Apelles»; sensu translato, ut hoc loco, Juv. I. 155: «Pone Tigellinum.» — *lucum,* descriptio luci locus communis in poesi epica fuisse videtur; cf. Hor. A. P. 14. sqq.:

> Inceptis gravibus plerumque et magna professis
> Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
> Adsuitur pannus, cum *lucus* et ara Dianæ
> Et properantis aquæ per amoenos ambitus agros
> Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus;

Juv. I. 7—8: «Nota magis nulli domus est sua, quam mihi *lucus* Martis». — *artifices* iungendum cum infinitivis *ponere* et *laudare;* cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *rus saturum laudare,* laus vitæ rusticæ est locus

communis in poesi Romana, quia Romani maiores suos propter vitam simplicem frugalitatemque maxime laudare solebant. Sed tale argumentum minime convenit poetis, qui, ut vs. 70. docemur, levitatem poeseos Græcæ imitari solebant. — *saturum*, bonis naturæ abundans. Cf. Verg. Ge. II. 197: «saturi petito longinqua Tarenti»; Tib. II. 1, 23: «Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni». — *corbes*, fortasse corbes messorias intellegit; cf. quæ Varro (De re rust. I. 50, 2.) de messe dicit: «Spicas coniciunt in corbem atque in aream mittunt» et Prop. IV. 2, 28; «Corbis in imposito pondere messor eram». — *focus*, hieme rusticorum refugium; cf. Verg. Ecl. VII. 49. sqq.:

> Hic focus et tædæ pingues, hic plurimus ignis ...
> Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
> Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

Cf. Xenoph. Oecon. 5, 9: χειμάσαι δὲ πυρὶ ἀφθόνῳ ... ποῦ πλείων εὐμάρεια ἢ ἐν χώρῳ; Cic. De senect. 57. de rure: «Ubi enim potest illa ætas (sc. senectus) calescere vel apricatione melius vel igni»; eodem pertinet Hor. Ep. I. 10, 14—15: «Novistine locum potiorem rure beato? Est ubi plus tepeant hiemes?» Antiqui enim in domibus non habebant caminos ad arcendum frigus hibernum aptos, quales nos habemus; quare in urbe domini atriorum marmoreorum, ut hodie quoque in Italia observare licet, hiberno frigore multo gravius lædebantur, quam rustici pauperes habitantes in parvis casis, ad quas calefaciendas focus suffecit. Hinc laus foci rusticorum. — *porci*, quia caro suilla erat antiquis Romanis gratissima. — *fumosa Palilia faeno*, gaudiis vitæ rusticæ adnumerandi sunt dies festi rusticorum, ut Palilia in honorem Palis, deæ pastorum, mense Aprili celebrata. Palilia cur *fumosa fœno* appellantur, optime ex-

plicant scholia verbis Varronis: «Varro sic ait: Palilia tam privata quam publica sunt et est genus hilaritatis et lusus apud rusticos, ut congestis cum fæno stipulis ignem magnum transsiliant, quod Pali faciunt eam se expiare credentes». Eodem pertinent Tib. II. 5, 87—90: «Et madidus Baccho sua festa Palilia pastor Concinet . . . Ille levis stipulæ sollemnis potus acervos Accendet, flammas transsilietque sacras» et Prop. IV. 4, 77—78:

> Cumque super raros fæni flammantis acervos
> Traicit immundos ebria turba pedes;

Ov. Fast. IV. 71—72:

> Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
> Traicies celeri strenua membra pede.

— *Palilia faeno*, eadem verba in fine versus habet Prop. IV. 1, 19: «Annuaque accenso celebrare Palilia fæno».

V. 73—75. *Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti*, id est: ruri nati sunt et vitam rusticam colebant Remus, conditor urbis Romæ, et Cincinnatus, liberæ reipublicæ decus, ceterique veteres Romani, quorum virtute Roma potens facta est. Tota igitur narratio apte cohæret cum laude vitæ rusticæ. Cf. quæ Vergilius (Ge. II. 532—534.) dicit de vita rustica:

> Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
> Hanc Remus et frater, sic fortis Etruria crevit,
> Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.

— *sulcoque terens dentalia, Quinti, Cum* etc.: et tu, Quinti, qui arasti, cum etc. *Dentale* est lignum, in quod vomer introducitur, ergo *dentalia sulco terere*, significat: arare. Cf. Verg. Ge. I. 46: «sulco attritus splendescere vomer». —

Quinti, nota est narratio de L. Quintio Cincinnato, cui, cum agrum suum araret, dictatura a populo Romano delata est. — *Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor,* auctore Livio (III. 26.) rogaverunt Cincinnatum legati, ut togatus mandata senatus audiret; tum Cincinnatus «togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam» (ipsa Livii verba) iussit. — *trepida,* festinanter aut *propere,* ut Livius dicit l. l. Cf. Verg. Aen. VII. 638: «Hic galeam tectis trepidus rapit». — *dictatorem induit,* te, qui dictator factus es, induit toga. — *et tua aratra domum lictor tulit,* dictator factus propter honorem sibi delatum non potuit, ut alias facere solebat, aratrum ipse domum ferre. — *Euge, poeta!* Persius ironice acclamat poetæ inepto: *euge,* de qua acclamatione vide adnotationem supra ad vs. 49.; cf. etiam V. 167: «Euge puer».

Pars quinta (v. 76—82.) *Sunt, qui antiquissimos poetas, Accium Pacuviumque, sectantur eorumque obsoletum dicendi genus inepte imitantur. Quare non est mirandum elocutionem poeticam in dies magis magisque corrumpi.*

V. 76—78. *Est nunc* etc. Poeta eos carpit, qui obsoletum dicendi genus scriptorum antiquorum inepte imitabantur. Cum autem supra vss. 69—75. ineptos epicorum carminum scriptores carpserit, videtur hoc loco tangere tragicos, qui facile poterant Accium Pacuviumque imitari. Antiquitatis admiratores reprehendit etiam Tac. Dial. de or. c. 23: «Neminem nominabo genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos illi, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidi Bassi et Servilii Noniani ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet». Cf. etiam Senec. Ep. 114, 13: «Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis

culti et recentes sunt, ad Appium usque et Coruncanium redeunt». — *Brisæi* . . . *Acci*, Accius, Romanæ tragœdiæ princeps, quem a. a. Chr. n. 170. natum et extrema senectute mortuum esse constat. Eum poeta *Brisæum* nominat cognomine Bacchi (Bacchus enim appellabatur cognomine Βρισαῖος et Βρισεύς), quod scholia ita explicant: «Ideo, quia *barbatus* colitur Liber pater cognomine». Testimonium scholiorum confirmant Macrob. Sat. I. 18: «Item liberi patris simulacra partim puerili ætate, partim invenili fingunt, præterea barbata specie, senili quoque, quem Bassarea, item, quem *Brisea* appellant» et Aristid. or. in Bacch. I. p. 29. Jebb: καὶ γὰρ ἐν ἠιθέοις καὶ ἐν κόραις καὶ αὖ ἐν ἄῤῥεσιν, ἀγένειός τε καὶ Βρισεύς. Cum igitur Bacchus Briseus sive Brisæus significet Bacchum barbatum, Accius Brisæus certe nihil aliud, nisi Accium *barbatum* sive *intonsum* potest significare. Persius autem Accium hoc epitheto eodem sensu ornavit, quo Romani iam Ciceronis tempore antiquos Romanos, maiores suos, solebant *barbatos* sive *intonsos* appellare. *Barbatus* igitur hoc loco significat *antiquum* et *obsoletum*. Cf. Plin. N. H. VII. 59, 211: «In Italiam ex Sicilia venere tonsores post Romam conditam a. CCCCLIV. adducente P. Titinio Mena, ut auctor est Varro; antea *intonsi* fuere»; Cic. pro Sest. 8, 19: «Unum aliquem te ex *barbatis* illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen rei publicæ diceres intueri», De fin. IV. 23, 62: «Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi, quasi *barbati*, ut nos de nostris solemus dicere, crediderint»; Hor. Carm. II. 15, 10—12:

. . . Non ita Romuli
Præscriptum et *intonsi* Catonis
Auspiciis veterumque norma.

Quod autem Persius Accium Bacchi cognomine ornavit, certe ideo fecit, quia poetæ tragici et tota dramatica poesis apud antiquos in Bacchi tutela erat. Similiter dixit Aristophanes Cratinum ταυροφάγον, quod et ipsum Bacchi cognomen est; cf. Aristoph. Ran. 357. et Kockii adnotationem ad h. l. — *venosus liber*, quales senes macri esse solent, quibus venæ exstant carne senio absumpta; cf. Pompon. com. 89: «vetulæ varicosæ». Poeta igitur obsoletum Accii librum quasi senectute macrum et aridum dicit et re vera hominibus eius ætatis iam *durum* et *siccum* esse videbatur Accii Pacuviique genus dicendi. Cf. quæ Tacitus (Dial. 21.) dicit de Asinio Pollione: «Pacuvium certe et Accium non solum in tragœdiis, sed etiam orationibus expressit; adeo *durus* et *siccus* est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non *eminent venæ* nec ossa numerantur». Videtur Tacitus hoc loco Persii verba ante oculos habuisse. — *liber*, drama significat, ut Quint. Inst. Or. I. 10, 18: «Aristophanes quoque non uno libro demonstrat.» — *Pacuviusque*, tragœdiarum scriptor clarissimus, natus a. 220. a. Chr. n. — *verrucosa . . . Antiopa*, Antiopa est tragœdia Pacuvii celeberrima, de qua Cic. De fin. I. 2, 4: «Quis enim tam inimicus pæne nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat?» Hanc Antiopam propter vetustatem iocose *verrucosam* vocat, quia anus solent verrucosæ esse (cf. supra vs. 76: *venosus*), præterea significat hoc epitheton mendosam esse Pacuvii elocutionem: ut faciem verrucis, ita tragœdiam eius locis ineptis deturpari. — *moretur*, delectando moretur; cf. Hor. Ep. I. 13, 17—18:

> Carmina quæ possint oculos aurisque morari
> Cæsaris,

et A. P. 320—321:

> Fabula nullius veneris, sine pondere et arte
> Valdius oblectat populum meliusque moratur.

– *ærumnis cor luctificabile fulta,* Antiopa, cuius cor luctificabile ærumnis fultum est. Sunt ipsa Pacuvii verba, una ex verrucis Antiopæ. Persius irridet monstrum vocis *luctificabile* (luctuosum), quod hoc uno loco occurrit estque unum ex illis *sesquipedalibus verbis* (Hor. A. P. 97.), qualia amabat vetus Romanorum tragœdia. Ridiculum deinde videbatur Persio etiam id, quod Pacuvius *ærumnis cor fulciri* dixit; *fulcire* enim Persii ætate id tantum significabat, quod Hungarice *támasztani*, Germanice *stützen*. Sed videtur *fulcire* tempore Pacuvii etiam id significasse, quod *premere*, cuius restat exemplum apud Prop. I. 8, 6—7:

> Tu pedibus teneris positas *fulcire* pruinas,
> Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives.

Ergo *cor ærumnis fultum* idem fere est, quod *cor ærumnis pressum*, ut apud Sallustium (Jug. 17.): «Omnes has, quæ me premunt, ærumnas amisisti» et Cic. Parad. II. 18: «Te miseriæ, te ærumnæ premunt omnes». Cf. etiam Suet. Tib. 53: «per vim ore diducto *infulciri* cibum iussit».

V. 79—82. *Hos pueris monitus patres infundere*, ut elocutionem Accii Pacuviique imitarentur. — *infundere*, «pueris monitus infundere» est metaphora Persio propria; solita est locutio: in aures vel auribus alicuius verba (etc.) infundere. — *lippos*, ad animi vitia referendum, quia antiqui credebant lippitudinem ex intemperantia potissimum oriri; cf. II. 72: «Messalæ lippa propago» et V. 77: «vappa lippus»; Hor. Sat. I. 120: «Crispini scrinia lippi» et Kiesslingii adnotationem ad hunc locum: «Dieses Augenleiden,

mit unaufhörlichem Jucken verbunden, reizte die Alten nicht zu Mitleid, sondern zu Spott, zumal es häufig Folge unregelmässigen Lebens war». — *sartago loquendi,* sartago est patella, in qua varia coquuntur; metaphora audax, quam scholia ita explicant: «Sartago metaphora pro garrulitatis ardore et argutæ (?) sine sensu, qualis est strepitus sartaginis». Huic explicationi favere videtur Isid. XX. 8: «Sartago a strepitu soni vocata, quando in ea ardet oleum» et Augustin. Conf. III. 1.: «Veni Carthaginem et circumstrepebat me sartago flagitiosorum amorum». *Sartago* igitur hoc loco videtur significare inanes Accii Pacuviique imitatorum ampullas. — *venerit in linguas,* sc. eorum, qui nunc scribunt. — *istud dedecus,* quia tumor ineptus dedecorat orationem. — *in quo . . . exsultat,* quo gaudet; cf. Cic. De fin. I. 16, 54; «ne ipsarum quidem virtutum laus, *in qua* maxime ceterorum philosophorum *exsultat* oratio, reperire exitum potest» et Prop. II. 6, 3—4: «Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim Tanta, *in qua* populus *lusit* Erichthonius». — *Trossulus . . . levis,* trossuli vocabantur illo tempore homines e procerum numero, cultui corporis omni cura dediti, Hungarice *ficsúr,* Germanice *Stutzer.* Cf. Sen. Ep. 87, 9: «O, quam cuperem illi (Catoni) nunc occurrere aliquem ex his *trossulis* in via divitibus». Ep. 76, 1: «Quid ergo? Idem faciam, quod *trossuli* et iuvenes?» *Lēvis* est trossulus, quia barbam nondum habet; recte scholia: «Ephebus sine pilis». Agitur enim de *pueris,* quibus patres stultos monitos infundunt (vs. 79.) Cf. Min. Fel. 22, 5: «Apollo tot ætatibus levis . . . Aesculapius bene barbatus.» — *exsultat,* exsultat gaudio, cum Accii Pacuviique imitatorem recitantem audit. Eandem rem vidimus iam supra vs. 20: «ingentis *trepidare* Titos.» Cf. de auditoribus recitationum Quint. Inst. Or. II. 2, 9: «At nunc proni

atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt et cum indecora *exsultatione* conclamant». -- *tibi*, dativus ethicus: cf. Cic. Fam. 9, 2: «At *tibi* repente paucis post diebus venit ad me Caninius», Att. 2, 8: «Epistulam cum a te avide exspectarem, ecce *tibi* nuntius pueros venisse Roma». Cf. quæ Gossrau (Lat. Sprachl. §. 278.) de dativo ethico dicit: «Ein pronomen personale steht als Zeichen der Erregung, Verwunderung und des Aufgebrachtseins». -- *per subsellia*, solebant auditores recitationum in subselliis sedere; cf. Tac. Dial. c. 9: «(Bassus) cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et *subsellia* conducit et libellos dispergit»; Juv. VII. 45. de recitante poeta: «Nemo dabit regum, quanti *subsellia* constant» et ib. 86: «sed cum fregit *subsellia* versu».

Pars sexta (v. 83- -91.) *Eo processit inanis gloriæ cupiditas, ut, qui gravissimi criminis reus sit, non tam se defendere studeat, quam figuris rhetoricis artificiose adhibitis plausum auditorum mereri.*

V. 83—84. *Nilne pudet capiti non posse pericula cano Pellere, quin tepidum hoc optes audire: Decenter?* Non te pudet etiam tum, cum reus es et id tibi agendum est, ut in iudicio publico pericula cano tuo capite depellas, auditorum plausus figuris rhetoricis captare? Poeta reprehendit oratores, qui eo tempore in iudiciis publicis causas non ea, qua par erat, gravitate agebant, sed artificiis rhetoricis ab eloquentia forensi alienis aures auditorum delectare volebant. Cf. Quint. Inst. Or. IV. 2, 112: «Nunc ... cum in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas?» et IV. 3, 2: «Plerisque moris est prolato rerum ordine protinus utiuqe

in aliquem lætum ac plausibilem locum quam maxime possint favorabiliter excurrere; quod quidem natum ab ostentatione declamatoria iam in forum venit, postquam agere causas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est». Eandem rem tangit Tac. Dial. 26: «Neque enim oratoris iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant». — *capiti . . . pericula cano pellere, pellere* cum dativo, ut *defendere* et *arcere* apud Verg. Ecl. VII. 47: «Solstitium pecori defendite» et Ge. III. 154—155: «Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat, Arcebis gravido pecori». — *pericula,* quæ reo impendent; accusatio capitis. — *cano,* reus iam senex est, quem minime decet se ita defendere; referendum ad Pedium Blæsum, de quo vide infra ad vs 85. — *quin,* pendet a *non posse* (vs. 83). — *tepidum hoc . . . Decenter,* tepida acclamatio: decenter. Auditores non *fervent,* ut lectorem suum Persius (cf. infra vs. 26: «Inde vaporata lector mihi *ferveat* aure») fervere vult, id est: non sunt vere commoti, sed affectata quadam admiratione probant genus dicendi tunc vigens. — *Decenter,* acclamatio auditorum, probationem significans, ut supra vs. 49. *euge* et *belle.*

V. 85—87. *Fur es, ait Pedio* (dat.), supple subiectum: *accusator.* Pedius est igitur reus. *Ait* sine subiecto, ut supra vs. 40: «rides, ait». — *Pedio,* Pedius Blæsus a. 813. a. u. c., duobus annis ante Persii mortem, repetundarum a Cyrenensibus accusatus. Cf. scholia: «Pedius quidam illo tempore damnatus est pecuniarum repetundarum. Cui cum obiectum esset latrocinium, non se fortiter respondendo purgavit, sed ex compositione versuum favorem quærebat, figu-

ris dictionum serviens, securus criminum diversorum» ; Tac. Ann. XIV. 18: «Motus senatu et Pedius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii dilectumque militarem pretio et ambitione corruptum». Persius igitur recte eum *furem* appellat, violatorem thesauri sacri. — *Pedius quid?* supple: facit. — *crimina rasis Librat in antithetis,* crimina non dissolvit argumentis gravibus, sed figuris rhetoricis auditores delectat. — *rasis,* quasi lima rasis, limatis, summa arte expolitis. Cf. Ov. ex Pont. II. 4. 17—18:

Utque meus lima *rasus* liber esset amici,
Non semel admonitu facta litura tuo est.

— *librat in antithetis,* antithetum est nota figura rhetorica. *Librat* optime explicat Jahn (p. 101. ed mai.): «Quia, ut in utraque libræ lance pondera et res, quæ ponderantur, sibi contraponuntur, ut æquentur, ita hac figura contraria sibi opponuntur». — *doctas . . . figuras,* ut doctus liber, doctus sermo; *doctum* enim vocatur, quidquid ab homine docto proficiscitur. — *figuras,* sc. rhetoricas, σχήματα. — *Bellum hoc,* exclamant auditores laudantes. — *Hoc bellum?* interrogat poeta indignabundus. — *An, Romule, ceves?* an, Romane, cinædus es? Nam vir esse non potest, qui oratione parum virili delectatur. Cf. infra vs. 103: «Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis?» Imitatur verba Catulli (c. 29, 5.): «Cinæde Romule, hæc videbis et feres?» — *Romule,* Romanus, Romulida (ut vs. 31.), Romuli nepos, ut supra vs. 20. *Titos* pro nepotibus Titi. Cf. Catulli verba supra allata. — *ceves?* Verbum *cevere* significat clunem agitare, quod in libidinis actu faciebant cinædi muliebria pătientes; de muliere idem faciente usurpatur *crisare.* Cf.

Juv. II. 21: «Ego te *ceventem,* Sexte, verebor?» VI. 322: «Ipsa Medullinæ fluctum *crisantis* adorat».

V. 88—91. *Men moveat?* supple: talis orator. Cf. Hor. Sat. I. 10, 78: «Men moveat cimex Pantilius?» — *Quippe et cantet si naufragus, assem Protulerim?* Si naufragus mendicans casum suum non verbis simplicibus, sed artificioso cantu narraret, assem ei non darem. Solebant enim apud antiquos naufragi mendicare; cf. Juv. XIV. 301—302: «Mersa rate naufragus assem Dum rogat». — *fracta te in trabe pictum Ex umero portes,* cf. VI. 33—34: «ne pictus oberret Cærulea in tabula». Naufragi mendicantes tabulam secum portabant, in qua naufragium erat depictum. Cf. Juv. XIV. 301—302:

> . . . mersa rate naufragus assem
> Dum rogat et picta se tempestate tuetur;

Phædr. IV. 21, 24—25: «ceteri (naufragi) tabulam suam portant Rogantes victum». Verba igitur: *fracta te in trabe pictum* intellegenda sunt de tabula, in qua naufragus ipse erat depictus in nave fracta et iam-iam demersa. — *fracta . . . in trabe,* in nave fracta; *trabs* pro nave, ut V. 141—142: «*trabe* vasta Aegæum rapias», VI. 27—28: «*trabe* rupta Bruttia saxa Prendit amicus inops». Cf. Hor. Carm. I. 1, 13—14: «ut *trabe* Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare». — *ex umero portes,* ita. ut tabula umero dependeat; cf. Verg. Aen. VI. 301: «Ex umeris dependet amictus». — *Verum nec nocte paratum Plorabit, qui me volet incurvasse querela,* imitatur Horatii sententiam (A. P. 202—203): «si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi». — *verum . . . plorabit,* pro *vere plorabit,* ut Ov. Rem. 639: «flens ancillula *fictum*»; verbum intransitivum cum accusativo iunctum, ut I. 11: «cum sapimus patruos», I. 106:

«demorsos sapit unguis». III. 59: «oscitat hesternum». III. 21: «sonat vitium». VI. 35: «spirare surdum», V. 25: «solidum crepare». V. 190: «crassum ridet». V. 106: «mendosum tinniat». IV. 34: «acre despuit». III. 67: «quidnam victuri gignimur». — *nocte paratum,* elucubratum; scriptores enim nocte potissimum scribere solent. Cf. Ov. Trist. I. 1. 108: «Quos studium cunctos evigilavit idem»; Juv. VII. 27: «Frange, miser, calamum vigilataque prœlia dele». — *incurvasse,* flectere, movere. *Curvare* pro *flectere* iam apud Horatium occurrit Carm. III. 10, 13—16:

O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pœlice saucius
Curvat . . .

Apud Senecam sæpius legimus ipsum hoc *incurvare* sensu metaphorico, ut De ira III. 5: «Non est magnus animus, quem *incurvat* iniuria», Ep. 71, 26: «Succidere mentem et *incurvari* et succumbere». Quod ad usum inf. perf. attinet, vide adnotationem ad vs. 42.

Pars septima (v. 92—106.) *Afferuntur nonnulla novæ poeseos specimina, mollitie quadam et curiosa versuum pangendorum arte insignia, sed ingenio vere poetico et robore masculo prorsus carentia, inani loquacitate plena.*

V. 92—95. *Sed numeris* etc. Vss. 92—97. interlocutori sunt tribuendi. — *numeris decor est,* supple: additus; cf. supra vss. 63—64: «carmina molli Nunc demum numero fluere». Mollitiem illam in carminibus pangendis, quam tantopere adamabant eius temporis poetæ, laudat interlocutor hanc ipsam mollitiem *decorem numerorum* (rhythmi) appellando. — *iunctura addita,* iunctura, ut supra ad vs. 56. adnotavimus, est artificiosa coaptatio singularum versus

partium, quod maxime fit cæsuris apte dispositis. Sententia igitur interlocutoris poetæ illius temporis meliores fecerunt versus, quam priores. — *crudis,* versus poetarum priorum appellat interlocutor *crudos,* id est: sine arte factos, quibus recentiores addiderint decorem et iuncturam. — *Claudere sic versum* etc. Interlocutor commemorat carmina æqualium poetarum tria, curiosa versuum pangendorum arte insignia eoque tempore notissima, nobis ignota. Titulos ipsos carminum non addit, sed verba nonnulla profert ex carminibus illis deprompta, unde lectores æquales, quibus noti erant illius temporis poetæ, statim intellegere potuerunt, quibus de carminibus ageretur. Quare vss. 93—95. ita sunt interpretandi: «Versum componere sic didicit carmen illud, ubi occurrit: *Berecyntius Attis,* et illud, ubi legitur: *qui cæruleum dirimebat Nerea delphin;* sic versum componere didicit etiam illud, ubi legimus: *costam longo subduximus Apennino*». Similiter commemorat Ennii Medeam Cicero De fin I. 2, 5: «Aut: *Utinam ne in nemore,* nihilo minus legimus, quam hoc idem Græcum», ubi dicere debebat: «Tragœdiam, ubi legitur: *Utinam ne in nemore*». Quod autem carmina ipsa, non poetæ carminum, versus componere didicisse dicuntur, minime nos offendere potest apud Persium, qui infra vss. 105—106. carmina *(Mœnas et Attis)* pluteum non cædere affirmat, ubi dicere debebat scriptorem talium carminum pluteum non cædere. — *Claudere sic versum didicit,* hoc loco *versum claudere* non ad exitum solum versuum est referendum, sed ad universam versus pangendi artem, idemque significat, quod: *versum componere,* ut apud Hor. Sat. I. 4, 40: *concludere versum* significat: verba pedibus claudendo versum efficere; ipse enim Horatius dicit alibi (Sat. II. 1, 28): «me pedibus delectat claudere verba»; cf. etiam Hor. Sat. I. 10, 59: «pe-

dibus quid claudere senis». — *Berecyntius Attis,* ut Ovidius Attidem, deæ Cybeles famulum, *Cybeleium* (Met. X. 104.), ita poeta huius carminis eundem *Berecyntium* nominavit, quia Cybeles cognomen erat *Berecyntia.* Similiter *Berecyntium* appellat Ovidius (Met. XI. 107.) Midan, Cybeles filium. Sed cum nemo priorum, qui de Attide scripserant, (ut Ovidius in Metamorphoseon libris et Catullus c. 63.), hoc epitheton ei addidisset, Persius epitheton insolitum, sed omnino aptum, hic non reprehendendi causa, sed ideo commemoravit, ut lectores statim intellegerent agi hoc loco de *Attide* poetæ æqualis, non de *Attide* Ovidiano aut Catulliano. — *qui cæruleum dirimebat Nerea delphin,* verba ex carmine poetæ cuiusdam Persio æqualis de delphine Arioneo; cf. scholia: «Arionem dicit citharœdum, qui cum captus esset a piratis et vellent eum mittere in mare, impetravit, ut cithara caneret. Veniente autem delphine proiecit se in mare et susceptus ab illo ad litus usque perductus est.» Versum pæne integrum attulit Persius, ut lectores agnoscerent carmen, de quo ageretur; nam de Arione multa scripserunt etiam priores poetæ, ut Ov. Fast. II. 83. sqq. — *dirimebat Nerea,* nando secabat undas maris; cf. Stat. Theb. V. 482: «Spumea porrecti dirimentes terga profundi». *Nereus,* deus marinus pro aqua maris, ut iam apud Verg. Ecl. VI. 35: «Tum durare solum et discludere Nerea ponto». In versu igitur ipso nihil est reprehendendum, sed totum poema non placuit Persio. — *costam longo subdurimus Apennino;* verba ex carmine quodam tertio, cuius argumentum nobis ignotum est, sed lectoribus Persii, ut carmen, de quo ageretur, agnoscerent, hoc unum suffecit, quod poeta ille nobis ignotus *costam* monti tribuit; est enim metaphora insolita, quæ alibi nusquam occurrit. Videtur poeta ante oculos habuisse Livii verba (XXXVI. 15.): «Apennini *dorso* Italia

dividitur» ; nam, si iugum montis *dorsum* appellatur, promunturia eius possunt *costæ* appellari. Quid significet *costam Apennino subducere,* difficile est explicare, cum verba contextui carminis erepta sint; verisimillimum equidem puto agi hoc loco de lapicidinis marmorum Lunensibus in Apennino sitis poetamque invectum esse in luxum illius temporis, propter quem Apenninus iam-iam decresceret et costas suas, id est: promunturia, amitteret. Solebant enim scriptores de luxu divitum ob id maxime queri, quod formam orbis terrarum iam-iam mutare auderet, ut Tib. II. 3, 44– 45: «portatur validis mille columna iugis Claudit et indomitum moles mare» ; Sall. Catil. 13: «Nam quid ea memorem, quæ nisi eis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subvorsos montis, maria constrata esse» ; Hor. Carm. II. 18, 17—22:

> Tu secanda marmora
> Locas sub ipsum funus et sepulcri
> Immemor struis domos
> Parum locuples continente ripa,

quem locum ita expressit Ov. A. A. III. 125—126:

> Nec quia *decrescunt effosso marmore montes,*
> Nec quia cæruleæ mole fugantur aquæ.

Montes marmore effosso in planum agi dicit etiam Plin. N. H. XXXVI. 1, 2: «In portento prope maiores habuere *Alpis* ab Hannibale exsuperatas et postea a Cimbris, nunc *ipsæ cæduntur* in mille genera *marmorum, promontoria aperiuntur mari et rerum natura agitur in planum.* Evehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant navesque marmorum causa fiunt ac per fluctus, sævissimam rerum naturæ partem, huc illuc *portantur iuga*». Poeta igi-

tur ignotus fortasse tale quid voluit dicere: «Nos insano luxu, marmoribus Lunæ sectis, unam costam dorso Apennini dempsimus». — *longo ... Apennino*, quia, ut Plin. N. H. III. 48. dicit, «Apenninus mons Italiæ amplissimus perpetuis iugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum». — *subduximus* sc. costam Apennino, ut Ov. A. A. III. 123, ubi agitur de luxuria: «Non quia nunc terræ lentum *subducitur* aurum». — *Apennino*, in fine versus; videtur Persius reprehendere velle eos, qui mollitiem in versibus pangendis affectantes abutebantur versibus spondiacis. Cf. Quint. Inst. Or. IX. 4, 65: «Est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod *etiam in carminibus est permolle*, nec solum, ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his: *fortissima Tyndaridarum*, sed etiam, ubi quaternæ, cum versus clauditur *Apennino* et *armamentis* et *Orione*».

V. 96—98. *Arma virum — nonne hoc spumosum* etc.; admirator poetarum recentium, qui in carminibus tribus supra memoratis summam versus faciendi artem laudat, eo amentiæ provehitur, ut etiam Vergilii versus reprehendere audeat. — *Arma virum*, Aeneis; prima Aeneidos verba pro Aeneide, ut supra *Berecyntius Attis* (vs. 93.) etc. pro titulis carminum. — *spumosum*, epitheton ad *ramale vetus* (vs. 97.) pertinens, sensu translato: *asperum;* nam superficies rami veteris non est lēvis, quales novellæ arbores esse solent, sed tuberibus corticis, ut aqua spumis, exturgescit et ob hanc causam aspera est. — *cortice pingui*, cortice crasso; vide adnotationem ad vs. sq. — *Ut ramale vetus vegrandi subere coctum*, ut suberis vetus ramus, quem cortex male grandis aridum fecit. Suber *(quercus suber L.)* enim, si cortex eius certo tempore non detrahitur, enecatur; cf. Plin. N. H. XVII. 234: «(Arbores) cortice in orbem

detracto necantur, excepto subere, qui sic etiam iuvatur, *crassescens* enim præstringit et strangulat». et ibid. 34: «Suberi... cortex... *præcrassus* et renascens atque etiam in denos pedes undique explanatus». Sensus igitur similitudinis est talis: versus Vergilii sunt *asperi* et *duri*, ut ramale vetus cortice crasso; contra versus poetarum recentiorum sunt *lēves* et *molles* et *teneri*, ut vss. 63—65 («carmina *molli* Nunc demum numero fluere, ut per *leve* severos Effundat iunctura ungues») et vs. 98. («Quidnam igitur *tenerum*») docemur. — *ramale vetus*, supple: suberis; ut hoc loco duros versus, ita dura membra eorum, qui articulorum morbo laborant, cum ramali vetere comparat Persius V. 58—59: «sed cum lapidosa cheragra Fregerit articulos, veteris ramalia fagi». — *vegrandi subere*, hoc loco *suber* non arborem ipsam, sed corticem exteriorem suberis significat, ut Verg. Aen. XI. 554—555: «natam libro et silvestri subere clausam Implicat»; cortex autem *vegrandis*, i. e. male grandis, vocatur, quia nimia magnitudine arborem enecat, ut supra vidimus. Cf. Fest. s. v. (ed Thewrewk, p. 568): «Vegrande significare aiunt alii male grande, ut vecors vesanus, mali cordis maleque sanus». Ceterum lectio *vegrandi* Porphyrionis (ad Hor. Sat. I. 2, 129) testimonio nititur; codices optimi habent: *prægrandi*. — *coctum*, aridum factum et enecatum. Cf. infra III. 5—6: «insana canicula messes Iam dudum *coquit*» et Prop. IV. 5, 61:

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino *cocta* iucere Noto.

— *Quidnam igitur tenerum*; quodnam igitur carmen est tenerum et molle, si Vergilii versus tibi duri sunt, interrogat Persius ironice. — *tenerum*, Vergilii versus sunt duri, ut ramale vetus, recentiorum versus teneri, ut arbor no-

vella; quod ad mollitiem carminis est referendum. — *laxa cervice legendum,* quod recitatores laxa cervice legere debent; ironice dictum, nam laxa cervix arguit hominem effeminatum et vitæ probrosæ deditum (cf. III. 58—59: «Stertis adhuc laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum») vetatque hoc Quintilianus (Inst. Or. I. 11, 9.), ne dicenti cervix inclinata sit. Ergo *laxa cervice legere* idem fere significat, quod supra vs. 18., ubi, ut hoc loco, de recitatore effeminato agitur, *patranti fractus ocello.*

V. 99—102. *Torva Mimalloneis* etc.; interlocutor, ut mollitiem gratam carminum recentiorum exemplo demonstret, quattuor versus affert ex carmine quodam, ubi Baccharum furor erat descriptus. — *Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,* supple subiectum: Bacchæ, nam in sacris Bacchi frequens erat cornuum usus. Cf. quæ Catullus de Bacchis dicit c. 64, 261—263:

> Plangebant aliæ proceris tympana palmis
> Aut tereti tenuis tinnitus ære ciebant,
> Multis *raucisonos* efflabant cornua *bombos.*

— *torva... cornua,* cornua terribili sono; *torvum* ab aspectu ad sonum transtulit iam Vergilius, qui de Amata Bacchi furore correpta dicit Aen. VII. 399—400: «*torvumque* repente Clamat». — *Mimalloneis,* Bacchicis; *Mimallones* enim vocabantur in Macedonia Bacchæ. — *bombis,* gravis et raucus sonus; bombum tribuit tubæ Lucr. IV. 543—544:

> Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit
> Et reboant raucum retro loca barbara *bombum,*

cornibus Catull. 64, 263: «Multis raucisonos efflabant cornua *bombos*». — *Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris,* femina Bacchans, quæ eo furoris ventura est, ut

vitulum vivum discerpat et caput eius dereptum, ut decus triumphale, auferat. Solebant enim Bacchæ furore orgiastico correptæ animalia viva dilacerare; cf. Eurip. Bacch. vs. 727 sqq.: Αἱ δὲ (Βάκχαι) νεμομέναις χλοὴν μόσχοις ἐπῆλθον χειρὸς ἀσιδήρου μέτα καὶ τὴν μὲν ἂν προσεῖδες εὔθηλον πόριν μυκωμένην ἔχουσαν ἐν χεροῖν δίκῃ, ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασιν; Catull. 64, 257. de Bacchis: «Pars e divolso iactabant membra iuvenco». — *vitulo . . . superbo,* Euripidem imitatur, qui ταῦρον ὄβριστὴν vocat taurum a Bacchis discerptum Bacch. vs. 735. sqq.: Ταῦροι δ' ὄβρισταὶ κεἰς κέρας θυμούμενοι τὸ πρόσθεν ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας μυριάσι χειρῶν ἀγόμενοι νεανίδων. Vitulus superbus est igitur iuvencus, qui, ut Verg. Ecl. III. 87. dicit, «iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.» — *caput ablatura,* ut victoriæ insigne; cf. de Bassaride Anth. Pal. VI. 74:

Βασσαρὶς Εὐρυνόμη σκοπελοδρόμος, ἥ ποτε ταύρων
Πολλὰ τανυκραίρων στέρνα χαραξαμένη,
Ἡ μέγα καγχάζουσα λεοντοφόνοις ἐπὶ νίκαις,
Παίγνιον ἀτλήτου θηρὸς ἔχουσα κάρη.

Ad usum verbi *auferre* cf. Hor. Ep. II. 1, 55—56: «*aufert* Pacuvius docti famam senis, Accius alti». — *Bassaris,* Græce Βασσαρὶς aut Βασσάρα, femina bacchans. — *et lyncem Mœnas flexura corymbis,* femina Bacchans, quæ mox aget lynces currum trahentes. Currum enim Bacchi bestiæ rapaces (tigres, pantheræ, lynces) trahebant. — *lyncem,* animal Baccho sacrum; cf. Verg. Ge. III. 264: «Quid lynces Bacchi variæ?»; Ov. Met. XV. 413: «Victa racemifero lynces dedit India Baccho»; Prop. III. 17, 7—8. de Baccho: «Te quoque enim non esse rudem testatur in astris Lyncibus ad cælum vecta Ariadna tuis». — *Mœnas,* femina Bacchans. — *flexura corymbis,* ut apud Vergilium Bacchus (Aen. VI. 804—

805.) «pampineis victor iuga flectit habenis . . . agens celso Nysæ de vertice tigres», ita hoc loco Mænas lynces agens hedera corymbifera utitur pro habenis. Erat enim hedera Baccho sacra. Cf. Ov. Fast. III. 767. sqq. *Flectere lyncem* significat agere lynces currum trahentes; cf. locutiones solitas: flectere equum, currum, carpentum, navem. — *corymbis*, corymbis hederæ; cf. Verg. Ecl. III. 38—39:

> Lenta quibus torno facili superaddita vitis
> Diffusos hedera vestit pallente *corymbos*,

et Ov. Met. III. 664—665: «Impediunt hederæ remos nexuque recurvo Serpunt et gravidis distinguunt vela *corymbis*», Tib. I. 7, 45. de Baccho: «frons redimita corymbis». — *Euhion ingeminat*, Bacchæ iterum atque iterum clamant *Euhion* (acc.); erat enim Εὔιος Bacchi cognomen. Cf. Ov. A. A. I. 563: «pars clamant Euhion». — *reparabilis adsonat Echo*, Echo *reparabilis* vocatur, quia voces quasi reparat, iterat. Cf. Ov. Met. I. 11: «plangentibus adsonat Echo» et III. 357—358:

> Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
> Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.

V. 103—106. *Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis;* Persius versibus 99—102. auditis amplius iam se tenere non potest et exclamat indignabundus: «Talia carmina scriberentur et nos hac infami versuum mollitie delectaremur, si viri essemus?» Sententia est fere eadem, quæ vs. 87: «Bellum hoc? An, Romule, ceves?», ubi vide adnotationem; cf. Petron. 44: «Si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret». — *testiculi vena ulla*, in venis pudendorum est sedes cupiditatis coeundi; cf. VI. 72: «Cum morosa vago singultiet inguine vena» et Hor. Sat. I. 2, 33:

«venas inflavit tætra libido». — *testiculi . . . paterni,* testiculi generandi vim habentis; recte scholia: «Talia poemata a quodam scriberentur, si quicquam in nobis virilitatis esset, vel si aliquam partem haberemus, qua patres esse possemus?» — *summa delumbe saliva Hoc natat in labris,* ἐναλλαγὴ ἐπιθέτων: hoc carmen sine nervis et viribus natat in saliva in summis labris. — *delumbe,* proprie dicitur de eo, qui lumbis debilis est; sensu translato: sine nervis et viribus. Ergo *delumbe carmen* est carmen nimis molle. Cf. Cic. Or. 231: «Ne minutos numeros sequens concidat *delumbetque* sententias». Idem significat *elumbe;* cf. Tac. Dial. 18: «Ciceronem male audisse a Bruto, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque *elumbem*». — *saliva... natat,* significat genus dicendi fluctuans et dissolutum, de quo Cornif. ad Herenn. 4, 11: «Eius generis, quod appellamus fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate neque viriliter sese expedire». — *in labris,* significat versus illos delumbes non ἀπὸ καρδίας sed ἀπὸ χειλέων venisse, ut Plut. Cat. Mai. 12. dicit. Cf. Gell. I. 15: «Qui nullo rerum pondere innixi *verbis umidis et lapsantibus diffluunt,* eorum orationem bene existimatum est *in ore nasci,* non in pectore»; Senec. Ep. 10, 3: «Non a summis labris ista venerunt: habent hæ voces fundamentum»; Quint. Inst. Or. X. 3, 2: «Ipsa illa ex tempore dicendi facultas *inanem* modo *loquacitatem* dabit et *verba in labris nascentia*». Persius igitur carmina recentiorum poetarum mollitie infami et inani loquacitate laborare dicit. — *et in udo est,* Theophrastus Char. 8. ait de homine loquaci: ἐν ὑγρῷ ἐστιν ἡ γλῶττα et scholia: «Hoc proverbialiter dicitur, posita esse in udo, in lingua. Et soluta sunt et nihil rigidi et astricti habentia». Idem igitur significat, quod supra: *saliva... natat.* —

«demorsos sapit unguis», III. 59: «oscitat hesternum», III. 21: «sonat vitium», VI. 35: «spirare surdum», V. 25: «solidum crepare», V. 190: «crassum ridet», V. 106: «mendosum tinniat», IV. 34: «acre despuit», III. 67: «quidnam victuri gignimur». — *nocte paratum,* elucubratum; scriptores enim nocte potissimum scribere solent. Cf. Ov. Trist. I. 1, 108: «Quos studium cunctos evigilavit idem»; Juv. VII. 27: «Frange, miser, calamum vigilataque prœlia dele». — *incurvasse,* flectere, movere. *Curvare* pro *flectere* iam apud Horatium occurrit Carm. III. 10, 13—16:

> O quamvis neque te munera nec preces
> Nec tinctus viola pallor amantium
> Nec vir Pieria pælice saucius
> *Curvat* . . .

Apud Senecam sæpius legimus ipsum hoc *incurvare* sensu metaphorico, ut De ira III. 5: «Non est magnus animus, quem *incurvat* iniuria», Ep. 71, 26: «Succidere mentem et *incurvari* et succumbere». Quod ad usum inf. perf. attinet, vide adnotationem ad vs. 42.

Pars septima (v. 92—106.) *Afferuntur nonnulla novæ poeseos specimina, mollitie quadam et curiosa versuum pangendorum arte insignia, sed ingenio vere poetico et robore masculo prorsus carentia, inani loquacitate plena.*

V. 92—95. *Sed numeris* etc. Vss. 92—97. interlocutori sunt tribuendi. — *numeris decor est,* supple: additus; cf. supra vss. 63—64: «carmina molli Nunc demum numero fluere». Mollitiem illam in carminibus pangendis, quam tantopere adamabant eius temporis poetæ, laudat interlocutor hanc ipsam mollitiem *decorem numerorum* (rhythmi) appellando. — *iunctura addita,* iunctura, ut supra ad vs. 56. adnotavimus, est artificiosa coaptatio singularum versus

partium, quod maxime fit cæsuris apte dispositis. Sententia igitur interlocutoris poetæ illius temporis meliores fecerunt versus, quam priores. — *crudis,* versus poetarum priorum appellat interlocutor *crudos,* id est: sine arte factos, quibus recentiores addiderint decorem et iuncturam. — *Claudere sic versum* etc. Interlocutor commemorat carmina æqualium poetarum tria, curiosa versuum pangendorum arte insignia eoque tempore notissima, nobis ignota. Titulos ipsos carminum non addit, sed verba nonnulla profert ex carminibus illis deprompta, unde lectores æquales, quibus noti erant illius temporis poetæ, statim intellegere potuerunt, quibus de carminibus ageretur. Quare vss. 93—95. ita sunt interpretandi: «Versum componere sic didicit carmen illud, ubi occurrit: *Berecyntius Attis,* et illud, ubi legitur: *qui cæruleum dirimebat Nerea delphin;* sic versum componere didicit etiam illud, ubi legimus: *costam longo subduximus Apennino*». Similiter commemorat Ennii Medeam Cicero De fin I. 2, 5: «Aut: *Utinam ne in nemore,* nihilo minus legimus, quam hoc idem Græcum», ubi dicere debebat: «Tragœdiam, ubi legitur: *Utinam ne in nemore*». Quod autem carmina ipsa, non poetæ carminum, versus componere didicisse dicuntur, minime nos offendere potest apud Persium, qui infra vss. 105—106. carmina *(Mœnas et Attis)* pluteum non cædere affirmat, ubi dicere debebat scriptorem talium carminum pluteum non cædere. — *Claudere sic versum didicit,* hoc loco *versum claudere* non ad exitum solum versuum est referendum, sed ad universam versus pangendi artem, idemque significat, quod: *versum componere,* ut apud Hor. Sat. I. 4, 40: *concludere versum* significat: verba pedibus claudendo versum efficere; ipse enim Horatius dicit alibi (Sat. II. 1, 28): «me pedibus delectat claudere verba»; cf. etiam Hor. Sat. I. 10, 59: «pe-

ceres, ut Hor. Ep. I. 17, 2: «Quo tandem pacto deceat maioribus uti». Cf. etiam III. 92: «De maiore domo». — *maiorum tibi forte Limina frigescant,* ne maiores te frigidius excipiant, cum limen eorum salutandi causa transscendis; imitatur Hor. Sat. II. 1, 61—62: «maiorum ne quis amicus Frigore te feriat». Proceres hac satira maxime castigat Persius; vide vss. 4—5., 19—21., 30—40., 50—62., quare verendum ei erat, ne iram illorum in se verteret. — *sonat hic* (sc. in limine) *de nare canina Littera,* proceres verbis irritatis, ut canes hirrientes, te a limine arcebunt; sunt enim irritabiles, ut canes, qui vestibulum eorum servant. — *de nare,* quia, ut supra vs. 33. vidimus, proceres de nare loquuntur. — *canina Littera* est littera **r**, de qua Lucilius (lib. I. fr. 27. ed. Luc. Mueller): «Inritata canes quam homo quam planius dicit». Cf. scholia: «Nam canes lacessiti sic *hirriunt,* ut videantur **r** litteram minitabundi exprimere» et Paul. Fest. s. v. *hirrire* (p. 72. ed. Thewrewk): «Hirrire: garrire, quod genus vocis est canis rabiosæ». *Littera canina* igitur non ad latratum, sed ad hirritum (Hungarice *morgás,* Germanice *Knurren)* canum est referenda.

V. 110—111. *Per me equidem* etc., respondet poeta. — *equidem,* fortius, quam *quidem,* compositum ex particula demonstrativa *ĕ* et *quidem,* non ex *ego* et *quidem,* ut olim falso putabatur; quare non solum ad primam personam, sed etiam ad secundam tertiamque potest referri, ut V. 45: «Non equidem dubites». Sed, cum iam apud Ciceronem semper cum prima persona iungatur, talis coniunctionis usus, qualem apud Persium videmus, iure potest archaismis adnumerari. — *sint omnia protinus alba,* bona. Cf. scholia: «*Alba,* sicut malum dicimus nigrum»; Juv. III. 30: «qui nigrum in candida vertunt» et adnotationem infra ad V. 108: «Illa prius creta, mox hæc carbone notasti». — *Nil*

moror, non curo, non contradico. — *Euge omnes, omnes bene,* vobis omnibus acclamo laudationes, quas auditores recitatoribus acclamare solent. De *euge* vide vs. 49. et adnotationem ad h. l.; quod ad *bene* attinet, cf. Hor. A. P. 427—428:

> Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
> Lætitiæ; clamabit enim: pulchre, *bene,* recte.

— *miræ eritis res,* omnes eritis quasi miracula orbis terrarum. — *Hoc iuvat?* hoc audire iucundum est vobis? Interrogatio, ut apud Hor. Sat. I. 1, 76—78:

> An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
> Fomidare malos fures, incendia, servos,
> Ne te compilent fugientes, *hoc iuvat?*

V. 112—114. *Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum,* tu proceres res sacras esse velis: legem fers, qua illi, qui proceres læserint, æque puniantur, ac si sacrum locum stercore humano inquinaverint. Nam sacra loca inquinare apud antiquos summæ impietatis habebatur. Pœta iocose imitatur antiquas leges archaismis, ut *faxit,* quæ est vetus futuri exacti forma et occurrit in lege duodecim tabularum apud Gell. N. A. 20, 1, 12., *oletum,* de quo Paul. Fest. s. v. (p. 241. ed. Thewrewk): «*Oletum:* stercus humanum. Veranius: Sacerdotula in sacrario Martiali fecit *oletum*». — *Pinge duos anguis,* religione defende proceres ab iniuria. Antiqui, si quem locum ab inquinatione defendere voluerunt, anguis imaginem appinxerunt, quæ locum quasi sacrum reddidit. Anguis enim significavit genium loci; cf. Verg. Aen. V. 95—96. de angue e tumulo Anchisæ prorepente: «Incertus, *geniumne loci* famulumne parentis Esse putet». — *Pueri, sacer est locus, extra Meite,* inscriptio imagini apposita;

cf. scholia: «Mos erat, ut tabernarii cupientes summovere pueros, ne mingerent super stationum suarum angulos, pingerent duos angues, deinde interdicerent micturientibus, ostendentes eis religionem loci». Totum autem locum optime illustrat Jahn (p. 111. ed. mai.): «In pariete aliquo conclavium, quibus thermæ Titi superstructæ sunt, et quæ olim partem domus aureæ Neronis effecerunt, picti sunt *duo angues* cum hac *inscriptione:*

DUODECI DEOS ET DIANAM ET IOVEM
OPTUMUM MAXIMUM HABEAT IRATOS
QUISQIS HIC MIXERIT AUT CACARIT.

Imaginem cum inscriptione dedit A. de Romanis, Le antiche camere Esquiline, Rom. 1822, hanc solam Osannus Syll. p. 494, 45». — *Discedo*, non accedo ad locum sacrum.

V. 114—115. *Secuit Lucilius urbem, te Lupe, te Muci;* notavit Lucilius, qui pater satiræ Romanæ iure dici potest, vitia urbis Romæ et ausus est etiam in nobilissimos potentissimosque viros, quales fuerunt tunc temporis Lupus et Mucius, satiras scribere. Cf. de Lucilio Hor. Sat. II. 1, 68.: «Primores populi arripuit populumque tributim», Sat. I. 10, 3—4: «sale multo *Urbem* defricuit.» — *secuit*, velut cultro, quod ad vehementiam satiræ Lucilianæ referendum est. Cf. Juv. I. 165—166: «Ense velut stricto quotiens Lucilius ardens Infremuit». — *urbem*, recte scholia: «Urbem autem ideo dixit, quia tribus omnes XXXV. laceravit», quod confirmat Horatius vs. supra allato: «populumque *tributim*». Lucilius enim notavit vitia tribuum singularum, inter alia livorem in tribu Papiria, ad quod fr. inc. VI. (ed. Luc. Mueller) referendum est; de tribu Ufentina agitur fr. inc. 7. — *te Lupe*, ad Lupum pertinent Lucilii I. fr. 4, XXVIII. vs. 3., IV. vs. 7, inc. 64. De Lupo vide,

quæ Luc. Mueller p. 297. ed. exposuit: «Recte videntur coniectare, qui (hunc Lupum) L. Cornelium Lentulum (Lupum) cons. a. 597. a. u. c. esse statuerunt. Eum refert Val. Max. VI. 9, 10. consularem lege Cæcilia repetundarum crimine oppressum, sed post censorem cum L. Censorino creatum. Ea res, quæ evenit a. u. c. 607. ,nescio an ipsa nimiæ hominis potentiæ sit indicium. Nec abhorret a probabilitate inter Lentulum et (Scipionem) Aemilianum gentiles fuisse offensiones; et ob id ipsum Lucilium isti infestum». Cf. Hor. Sat. II. 1, 68: «Famosisque Lupo cooperto versibus» sc. Lucilii. — *te Muci*, rectissime dicit Luc. Mueller p. 298. ed. intellegendum esse Publium Mucium Scævolam, consulem anni 621., quem inimicitias exercuisse cum P. Scipione Aemiliano Ciceronis (De re publ. I. 19; De or. II. 70. 285) testimoniis constat. Lucilius igitur et in Lupum et in Mucium ideo invectus est, quia inimici fuerunt Scipionis Aemiliani, quo poeta familiarissime utebatur. Cf. Juv. I. 154: «Quid refert ,dictis ignoscat *Mucius* an non?» - - *genuinum fregit in illis*, adeo vehementer eos momordit, ut dentem genuinum, qui est inter molares fortissimus, fregerit. Lucilium cum cane mordaci comparat, ut Lucilius ipse canino ritu se adversarios aggredi dixit; cf. l. XXX. fr. 77. (ed. Luc. Mueller): «inde canino ori si ritu oculisque Involem», ubi supplendum: «Num mirum sit?» vel simile.

V. 116—118. *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit*, recte scholia: «Horatius non ut Lucilius hominum vitia castigavit, sed ut rideret etiam is, qui emendabatur». Referendum est maxime ad epistulas Horatii, ubi persæpe vitia amicorum, ad quos epistulas misit, tangit, sed ita callide (inde epitheton *vafer*), ut ipse, quem tangit, amicus rideat. — *admissus*, quasi in pectus admissus, quod referendum est ad intimam amicitiam, ut V. 27. de Cornuto

dicit Persius: «quantum mihi te sinuoso in pectore fixi». — *circum præcordia ludit,* quasi ludibundus interiora mentis vitia reprehendit. *Præcordia* enim sæpe idem significant, quod pectus, id est: sedem animi; cf. Tibull. I. 1. 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta.» — *ludit,* quia Horatius ridendo dicit verum. Cf. Sat. I. 1, 24: «ridentem dicere verum», I. 10, 14—15: «Ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res». — *Callidus excusso populum suspendere naso,* qui populum imperitum, ut virum prudentem decet, contemnit iudiciumque eius non curat; nam *naso suspendere aliquem,* ut apud Horatium (Sat. I. 6, 5—6.): «naso suspendis adunco Ignotos», contemptum significat. Cf. adnotationem ad vs. 41: «nimis uncis Naribus indulges». Horatius autem sæpius dicit, ut Ep. I. 1. 70. sqq., ubi populum Romanum *beluam multorum capitum* (vs. 76.) nominat, et Ep. I. 19, 37. («non ego ventosæ plebis suffragia venor»), se iudicium populi non curare; cf. etiam Hor. Carm. II. 16, 37—40: «mihi parva rura et Spiritum Graiæ tenuem Camenæ Parca non mendax dedit et malignum Spernere volgus». — *callidus... suspendere,* quod ad usum infinitivi attinet, vide adnotationem supra ad vs. 59. — *excusso ... naso,* nasus excussus, id est: nasus, unde mucus excussus est, idem significat, quod apud Horatium (Sat. I. 4, 8. de Lucilio) *emunctæ naris.* Emunctæ naris est, qui sagaci et prudenti est animo, contra stultos *mucosos* vocat Acro ad Hor. Sat. I. 4, 8. Cf. scholia: «Excusso naso, emuncto, unde intellegitur *prudenti,* ut e contrario, qui stulti sunt, mucosi dicuntur».

V. 119—123. *Me muttire nefas? Nec clam?* Respicit Ennii verba, quæ leguntur apud Paul. Fest. (p. 125. ed. Thewrewk): «Muttire: loqui. Ennius: *Palam muttire* plebeio piaculum est». — *Nec cum scrobe?* Nota est fabula

de auribus regis Midæ asininis, quas, ut Ovidius (Met. XI. 180—193.) ait:

Ille quidem celat turpique onerata pudore
Tempora purpureis temptat velare tiaris.
Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus. Qui cum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit humumque
Effodit et, domini quales adspexerit aures,
Voce refert parva terræque immurmurat haustæ;
Indiciumque suæ vocis tellure regesta
Obruit et *scrobibus* tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ubi surgere lucus
Cœpit et, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab austro
Obruta verba refert dominique coarguit aures.

— *Nusquam?* interrogat poeta indignabundus. — *Hic tamen infodiam,* scilicet: in libello meo; secretum concredam libello, ut famulus Midæ scrobi. Cf. quæ Horatius (Sat. II. 1, 30.) de Lucilio dicit: «Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris». — *Vidi, vidi ipse,* ut testes, qui rem ipsi viderunt, in iudicio loqui solent. Cf. Juv. VII. 13:

Hoc satius, quam si dicas sub iudice: *vidi*

et XVI. 29—30.

Da testem, iudex cum dixerit, audeat ille
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere: *vidi.*

— *Auriculas asini quis non habet?* Secretum, quod poeta vs. 8. («Nam Romæ est quis non . . .?») reticuit, hoc loco aperte dicit. Ceterum de hoc loco in fine vitæ Persii de

commentario Probi Valerii sublatæ legimus, quæ sequuntur: «Cuius versus in Neronem cum ita se haberet: «*auriculas asini Mida rex habet*», in eum modum a Cornuto ipso tantum nomine mutato est emendatus: «*auriculas asini quis non habet*», ne hoc in se Nero dictum arbitraretur». Idem narrant scholia ad h. vs.: «Sed Cornutus hoc mutavit ita ponens: auriculas asini quis non habet». Hæc narratio verisimilis non est. Tota enim satira prima, ut iam exordio docemur, non in unum hominem, sed in eos omnes, qui tunc temporis Romæ aut ipsi scriptitabant aut de scriptis aliorum recte iudicare posse sibi videbantur, invehitur. Poeta igitur stultitiæ nota non unum aliquem, sed omnes Romanos afficere voluit, secutus doctrinam Stoicorum, qui præter sapientem omnes homines stultos esse affirmabant. Quare narrationem de Cornuto Persii verba mutante commentatoribus illis tribuendam puto, qui, ut e scholiis elucet, in satira prima omnia ad Neronem esse referenda sibi persuaserunt, quod evincere studentes res excogitaverunt absurdissimas. — *Hoc ego opertum*, hoc secretum; videtur respicere Ovidii verba supra allata (Met. XI. 189.): «*scrobibus* tacitus discedit *opertis*». — *ridere meum*, infinitivus pro substantivo; cf. quæ supra ad vs. 9. adnotavimus. — *tam nil*, quod aliis nullius momenti esse videtur. — *nulla tibi vendo Iliade*, referendum est ad Iliadem Attii Labeonis, de quo vide adnotationem ad vs. 4.

Finis (v. 123—134.) *Has satiras is legat, qui veteris comœdiæ Atticæ auctores, quos ut egregia exempla sequitur poeta, novit et veretur, non illi, qui ab omni liberali doctrina alieni sunt. Hos poeta nihil curat suasque sibi res habere iubet.*

V. 123—125. *Audaci quicumque adflate Cratino Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles*, is satiras meas

legat, qui celeberrimos comœdiæ Atticæ antiquæ scriptores, Cratinum, Eupolidem et Aristophanem, quorum libertatem satira Romana imitatur, ea qua par est cura legit. Respicit Horatii verba (Sat. I. 4, 1—6.):

> Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetæ
> Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
> Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
> Quod mœchus foret aut sicarius aut alioqui
> Famosus, multa cum libertate notabant.
> Hinc omnis pendet Lucilius . . .

— *audaci . . . Cratino,* Cratinum audacem vocat, quia in comœdiis suis viros potentissimos, ipsum etiam Periclem, contumeliis aggredi ausus est. Cf. Plut. Pericl. 3. et 24. — *adflate,* adflatus, ut vates divino numine adflari solent; inflammatus. Cf. Verg. Aen. VI. 50: «adflata est numine quando Iam propiore dei». *Adflate,* vocativus pro nominativo, ut III. 28—29: «Stemmate quod Tusco ramum *millesime* ducis Censoremve tuum vel quod *trabeate* salutas.» — *Iratum Eupolidem,* quia, ut Anonym. de com. p. 29. dicit, ζηλῶν Κρατῖνον πολύ γε λοίδορον ἐπιφαίνει. — *prægrandi cum sene,* Aristophanes, quem, ut principem comœdiæ antiquæ, prægrandem vocat. Eum *senem* appellat aut ideo, quia, ut inter viros doctos constat, sexagesimum annum egressus est, aut, quia solemus eos, qui multis annis ante nos vixerunt, senes appellare. Dicimus enim Hungarice: *az öreg Shakespeare,* Germanice: *der alte Sh.,* quamquam principem poetarum Britanniæ quinquagesimum annum vix egressum esse scimus. Etiam Ovidius *senes* appellat antiquos Romanos Fast. II. 35—36:

Omne nefas omnemque mali purgamina causam
Credebant nostri tollere posse *senes*.

-- *palles*, sc. Eupolidem et Aristophanem, quod recte explicant scholia: «Palles legendo Aristophanem et Eupolidem», id est: Tali studio legis, ut pallorem inde contrahas. Agitur de honesto studiorum pallore, de quo vide supra ad vs. 26. *Pallere* cum accusativo, ut III. 43: «Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor», III. 85: «Hoc est, quod palles?», V. 184: «recutitaque sabbata palles». — *Aspice et hæc*, sc. meas satiras; cf. Verg. Ge. IV. 2: «Hanc etiam, Mæcenas, aspice partem», Hor. Ep. I. 17, 4: «tamen aspice, si quid Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur». — *si forte aliquid decoctius audis*, si forte aliquid, quod perfectum ingenio elaboratumque industria sit, in satiris meis invenis. Cum enim liquor *decoquitur*, inutilia despumantur, ut ea tantum restent, quæ alicuius pretii sunt. Cf. Verg. Ge. I. 295—296:

Aut dulcis musti Vulcano *decoquit* umorem
Et foliis undam trepidi *despumat* aëni.

Eadem metaphora utitur Quint. Inst. Or. II. 4, 7: «Materiam esse primum volo vel abundantiorem atque ultra quam oporteat fusam. Multa inde *decoquent* anni».

V. 126—128. *Inde vaporata lector mihi ferveat aure*, talis lector scriptis meis delectetur, cuius aures comicis veteribus legendis purgatæ sunt, id est: cuius animus tali lectione præparatus est ad libertatem satiræ æstimandam. — *vaporata*, purgata, quia aures vaporatione purgantur. *Auris purgata* pro animo bene præparato, ut V. 62—63: «Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures Fruge Cleanthea.» Ceterum purgata auris pro ingenio sagaci ponitur V. 86: «Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto». — *mihi ferveat*,

inflammetur satiris meis. — *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit Sordidus*, non talis lector mea scripta legat, qui elegantiam habitus Græcorum inepte deridet, cum ipse sordidus sit. Græcorum habitus, ut viro parum dignus, despectui erat Romanis etiam imperatorum temporibus. Cf. quæ Suetonius dicit de Tiberio Rhodi exsulante (Tib. 13.): «Equi quoque et armorum solitas exercitationes omisit redegitque se, deposito patrio habitu, *ad pallium et crepidas*, atque in tali habitu biennio fere permansit, *contemptior in dies et invisior*, adeo ut imagines eius et statuas Nemausenses perverterint.» — *crepidas*, κρηπίς, Græcum calceamenti genus, pro toto Græcorum habitu ponitur. Romani enim utebantur togis et calceis, Græci palliis et crepidis. — *ludere* in aliquid pro: illudere aliquid. — *sordidus*, homo, qui simplicitatem veterum Romanorum inepte imitans omnem munditiem adeo vitat, ut pæne sordidus sit, contemnitque Græca omnia. Fuerunt enim Romæ etiam Persii ætate homines indocti, qui, ut alter ille Bestius VI. 37. commemoratus, in Græcis corruptores tantum viderunt populi Romani, quos poeta, philosophiæ Græcæ admirator, valde despexit. — *et lusco qui possit dicere: lusce*, omni sensu honesti destitutus est, qui alteri naturale vitium obiicit.

V. 129—130. *Seque aliquem credens* etc.; et qui se magnum virum esse credit, quia in parvo quodam Italiæ municipio ædilis factus est. — *aliquem*, cf. Cic. ad Att. III. 15, 8: «meque velis esse *aliquem*»; Juv. I. 73—74:

> Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
> Si vis esse *aliquid*.

Similiter dicimus Hungarice: «azt hiszi, hogy ő már *valaki*», Germanice: «er glaubt *etwas* zu sein». — *Italo*...

honore, quia de ædilibus municipalibus agitur, qui opponuntur ædilibus urbanis Romano honore ornatis. — *supinus*, superbus, quia, ut Quintilianus (Inst. Or. XI. 3, 69.) ait: «Supino (capite) arrogantia ostenditur»; cf. Mart. V. 8.10: «Hæc et talia dum refert supinus». Ridiculum magistratuum municipalium fastum notat Persius, ut Horatius Sat. I. 5, 34—36:

> Fundos Aufidio Lusco prætore libenter
> Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
> Prætextam et latum clavum prunæque vatillum.

— *Fregerit heminas . . . iniquas*, ædilium officium erat mensuras non ad normam legis factas frangendas curare, ne emptores in foro deciperentur. Persium imitatur Juv. X. 101—102:

> Et de mensura ius dicere, vasa minora
> Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris.

— *heminas*, hemina est dimidia pars sextarii, mensura liquidorum. — *Arreti*, locativus; Arretium, hodie *Arezzo*, Etruriæ oppidum erat olim celeberrimum, sed, postquam Romani Etruriam subegerunt, multum pristini splendoris amisit. — *ædilis*, ædiles in municipiis et coloniis inter summos magistratus erant. Cf. quæ Juvenalis de ædilibus municipalibus (III. 179.) dicit: «Sufficiunt tunicæ *summis* ædilibus albæ.» — *iniquas*, falsas, iniustas; cf. Digg. XIX. 2, 13, 8: «Si quis mensuras conduxerit easque magistratus frangi iusserit, si quidem *iniquæ* fuerunt».

V. 131—134. *Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas Scit risisse vafer*, homines indocti, qui mathematicorum studia derident. — *abaco numeros*, abacus hoc loco tabulam calculatoriam significat, de qua vide: Pauly-

Wissowa, Realencycl. s. v. — *secto in pulvere,* pulvis radio geometrico sectus. Agitur de abaco geometrarum (cf. Plut. Cat. min. 70: ἀβάκιόν τι τῶν γεωμετρικῶν), de tabula mensæ imposita, quam antiqui operiebant pulvere, in quo figuras geometricas radio describerent. Cf. notissimam de Archimede narrationem apud Liv. XXV. 31, 9: «Archimedem memoriæ proditum est in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum». — *metas,* meta est hoc loco conus, figura geometrica; cf. Plin. XVI. 70. de buxo: «Tria eius genera: Gallicum, quod in metas emittitur». — *Scit risisse,* quod ad usum inf. perf. attinet, vide adnotationem ad vs. 42. — *multum,* valde; cf. III. 86: «multumque torosa iuventus» et adnotationem ad h. l. — *gaudere paratus,* ut VI. 36: «nescire paratus». — *Si cynico barbam petulans nonaria vellat,* Cynici, qui barbam alebant et in plateis vagantes philosophiam suam populo explicabant, sæpissime derisui habebantur. Similem rem tangit Hor. Sat. I. 3, 133—136:

> .... vellunt tibi barbam
> Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coerces,
> Urgueris turba circum te stante miserque
> Rumperis et latras, magnorum maxime regum.

— *barbam ... vellat,* petulantissimum irrisionis genus; cf. II. 28: «Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam Iuppiter.» — *nonaria,* ἅπαξ εἰρημένον, quod scholia ita explicant: «Nonaria dicta est meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione militari illo irent adulescentes». Cf. Schol. ad Juvenal. VI. 116: «antea meretrices propter sacrorum celebrationem ab hora nona to-

tam noctem prostabant, inde etiam nonariæ dictæ sunt». Meretrix igitur *nonaria* nominatur per opprobrium, ut *quadrantaria* apud Quintil. Inst. Or. VIII. 6, 53; *diobolaris* in fragmento Plautino apud Varr. L. L. VII. 64. — *His mane edictum, post prandia Callirhoen do;* hominibus, qui ingenuas artes philosophosque despectui habent, non do satiras meas legendas: legant illi mane forensibus negotiis occupati edictum prætoris, post prandia autem Callirhoen, carmen ineptissimum. — *mane edictum... do,* locus illustrandus est collatione Horatii, qui Ep. I. 6, 22. ita inducit avarum:

> Navus *mane forum* et vespertinus pete tectum,
> Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
> Mutus,

ubi *forum* significat negotia forensia (fenus scilicet et lites debitoribus illatas), quibus pecunia augetur. Persius pro *foro* dixit *edictum,* id est: edictum prætoris in foro propositum, et hac voce, ut Horatius *foro,* complecti vult omnia negotia forensia; iis enim, qui talibus negotiis erant occupati, necessarium fuit edictum prætoris legere. Sed respexit etiam ea, quæ Horatius de *siccis,* id est: de hominibus a Musis alienis dicit Ep. I. 19, 8—9:

> ... *forum* putealque Libonis
> *Mandabo* siccis, adimam cantare severis;

nam, quod Horatius dixit: «*forum mandabo* iis, qui a Musis alieni sunt», Persius ita expressit: «*edictum do* alienis a philosophia». — *post prandia,* quia tunc demum, cum nihil serii agi potest, post prandium aut post cenam carmina curant plerique Romanorum; cf. supra vss. 30—31: «Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid dia

poemata narrent». — *Callirhoe,* carmen quoddam ineptum de Callirhoe, ut supra vss. 34. *Phyllis* et *Hypsipyle,* eo tempore certe notissimum, nobis ignotum. Callirhoe erat uxor altera Alcmæonis, filia fluvii Acheloi, de qua cf. Ov. Met. IX. 414, Rem. am. 455—456. et Ib. 348.

SATIRA II.

Ad Macrinum de impiis et stultis hominum votis deque prava in sacris luxuria.

Exordium (v. 1- 4.) *Poeta gratulatur Plotio Macrino diem natalem agenti, quem hortatur, ut Genium faustis adeat precibus; scit enim eum non nisi bona rectaque a diis poscere.*

V. 1- 4. *Hunc ... diem,* diem natalem. — *Macrine,* cf. scholia: «Hanc satiram ad *Plotium Macrinum* de bona mente scribit significatque eo die eiusdem Macrini natalem esse ... Alloquitur Macrinum, hominem sane eruditum et paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat indulto sibi pretio aliquanto». De Servilio autem in Vita Persii de commentario Valerii Probi sublata legimus: «(Persius) coluit ut patrem Servilium Nonianum». De Macrino præter ea, quæ in scholiis leguntur, nihil scimus. Huic igitur Macrino diem natalem celebranti satiram pro dono misit Persius, de qua re vide, quæ Censorinus dicit De die nat. c. 1: «Q. Cærelli ... cum dona pretiosa neque tibi ... desint nec mihi per rei tenuitatem supersint, quodcumque hoc libri est, meis opibus comparatum *natalicii titulo* tibi misi». — *numera meliore lapillo,* signa albo lapillo; dies enim felices more Thracum lapillo albo, infelices nigro sunt signandi. Cf. Plin. N. H. VII. 131: «Vana mortalitas et ad circumscribendam se ipsam ingeniosa computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit

ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat. Quid quod iste *calculi candore* illo laudato die originem mali habuit?» Hunc morem sæpe respiciunt scriptores Romani, ut Catull. 107, 6: «O lucem candidiore nota», 68, 148: «Quem lapide illa diem candidiore notat»; Hor. Carm. I. 36, 10: «Cressa ne careat pulchra dies nota»; Plin. Ep. VI. 11, 3: «O diem... lætum notandumque mihi candidissimo calculo»; Mart. IX. 52, 3—4:

> Felix utraque lux diesque nobis
> Signandi *melioribus lapillis.*

— *numera,* de natalibus, ut Hor. Ep. II. 2, 210: «Natalis grate numeras?» unde elucet bonum virum sapientemque grate numerare natales neque laborare μεμψιμοιρίᾳ. Persius idem fere vult dicere de Macrino. — *Qui tibi labentis apponit candidus annos,* qui dies felix annis tuis præteritis novum annum addit. Cf. Hor. Carm. IV. 11, 18—20. de natali Mæcenatis: «quod ex hac Luce Mæcenas meus adfluentes Ordinat annos». — *labentis ... annos,* annos prætereuntes, fugaces; cf. Verg. Ge. I. 6: «labentem cælo quæ ducitis annum»; Hor. Carm. II. 14, 1—2: «Eheu fugaces, Postume, Postume, Labuntur anni.» — *apponit,* addit. ut Hor. Carm. II. 5, 13: «currit enim ferox Aetas et illi, quos tibi dempserit, Apponet annos». — *candidus,* sc. dies, lætus et felix. Natalem candidum appellant Tib. I. 7, 63—64:

> At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
> Candidior semper candidiorque veni;

Ov. Trist. V. 5, 13—14:

> Optime Natalis, quamvis procul absumus, opto,
> Candidus huc venias...

— *Funde merum Genio,* Romani die natali vino et ture sacrificabant Genio suo; cf. Censorin. De die nat. c. 2. — *prece... emaci,* emaces sunt preces eorum, qui diis sacrificia promittunt, ut hoc pretio quasi emant eorum voluntatem. Cf. infra vss. 29—30: «qua tu mercede deorum Emeris auriculas?» — *Quæ nisi seductis nequeas committere divis,* non tu talia rogas, quæ diis palam dicere non possis. — *seductis... divis,* eum, cui secretum committere volumus, a turba seducere solemus; cf. V. 142—143: «ni sollers Luxuria ante Seductum moneat», VI. 41—42: «At tu, meus heres, Quisquis eris, paulum a turba seductior audi».

Pars prima (v. 5—16.) *Notatur improbitas eorum, qui coram hominibus iusta quidem et licita a diis poscunt, sed tacita mente divitias quovis modo acquirendas, propinquo diviti aut pupillo, cui substituti heredes sunt, mortem optant. Quæ impia vota sancta esse putant, si cœrimonias quasdam anxia cum cura coluerint.*

V. 5—7. *At bona pars procerum,* magna pars nobilium; cf. Hor. Sat. I. 1, 61: «At bona pars hominum» et Porphyr. ad h. l.: «*Bona* nunc pro *magna* dictum, ut sæpe Ennius et alii veteres.» — *procerum,* etiam in hac satira, ut in prima, procerum vitia inprimis notat Persius. — *tacita libabit acerra,* recte scholia: «Tacita acerra autem ait pro ipsis tacitis, qui ideo palam non orant, ne iniqua eorum petitio audiatur». *Acerra* est, ut Paul. Fest. s. v. (p. 13. ed. Thewrewk) testatur, arcula turaria, ubi tus reponebant. Agitur de sacrificio turis in acerra servati. — *libabit, libare* dicitur non solum de vini et lactis, sed etiam de frugum et turis sacrificio; cf. Ov. Met. VIII. 274: «frugem Cereri libare» et Ex. Pont. IV. 8, 39—40:

Nec quæ de parva pauper dis libat accerra,
Tura minus, grandi quam data lance, valent.

Tempus futurum *(libabit)* in sententia generali, ut Juv. VIII. 182: «quæ Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt». — *Haud cuivis promptum est,* non cuivis facile est; cf. Ov. Met. XIII. 10: «sed nec mihi dicere promptum Nec facere est isti»; Tac. Hist. II. 76: «æstimare debent, an promptum effectu aut certe non arduum sit». — *murmurque humilesque susurros,* qui turpia vota faciebant, in templis ante deorum simulacra murmurabant et susurrabant, ne quis preces audiret. Cf. Juv. X. 289—291:

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt, anxia mater
Usque ad delicias votorum;

Senec. Ep. 10, 5: «Nunc enim quanta dementia est hominum: turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescunt. Et quod scire hominem nolunt, deo narrant». — *aperto vivere voto,* ita vivere, ut vota nostra semper aperte dicere possimus. Cf. Senec. Ep. 10, 5: «Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam». Ad locutionem ipsam cf. infra V. 53: «Velle suum cuique est nec voto vivitur uno».

V. 8—12. *Mens bona, fama, fides,* vota honesta. *Mens bona* est mens sana; cf. Senec. Ep. 10, 4: «Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tunc corporis»; Petron. 61: «Postquam ergo omnes bonam mentem bonamque valetudinem sibi optarunt»; Juv. X. 356: «Optandum est, ut sit mens sana in corpore sano.» — *fama,* sc. fama bona. Cf. Cic. De fin. III. 17, 57: «(Stoici) hanc, quam dixi,

bonam famam ipsam propter se præpositam et sumendam esse dixerunt, esse hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipsam, non propter usum.» — *fides,* ut fides sit ei apud homines. — *hæc clare,* supple: dicit. — *audiat hospes,* qui eum non novit. Cf. Hor. Carm. II. 5, 21—22:

> Quem si puellarum insereres choro,
> Mire sagaces falleret hospites.

Illa sibi introrsum, intra se; cf. Senec. De benef. II. 1, 4: «Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent; adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et *intra nosmet ipsos* precari». — *sub lingua,* ut verba sub lingua maneant, non emittantur ex ore. — *Ebulliat patruus,* ebullire animam pro: exspirare animam habent Senec. Apocol. 4, 2; Petr. 42, 3 et 62, 10, quod sermone populari videtur usitatum fuisse. Persius obiectum omisit, ut sæpe dicitur absolute *exspirare* pro mori. *Ebulliat* cum synizesi legendum *ebulljat,* ut Verg. Aen. II. 16. et VIII. 599: *abjete* pro *abiete.* — *præclarum funus,* parenthesis: quod præclara mors esset mihi, nam, si patruus exspiraret, ego essem heres eius. *Funus* pro morte, ut Verg. Ecl. V. 20: «Exstinctum... crudeli funere Daphnim», Aen. II. 538—539: «qui nati coram me cernere letum Fecisti et patrios fœdasti funere voltus»; Juv. VI. 565: «Consulit ictericæ lento de funere matris»; Prop. III. 34, 89—90:

> Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
> Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.

— *si Sub rastro crepet argenti mihi seria,* si thesaurum forte effodiam. — *seria,* cf. scholia: «dolium fictile oblon-

gum.» — *dextro Hercule,* favente Hercule, ut V. 114: «Iove dextro». Cf. Verg. Aen. VIII. 302: «tua dexter adi pede sacra secundo»; Ov. Fast. I. 67: «Dexter ades ducibus». Herculem datorem divitiarum esse existimabant Romani, quare ei decimam partem eorum, quæ acquisivissent, sacrificabant; cf. Horatii locum, quem Persius ante oculos habuit, Sat. II. 6, 10—13:

> O si urnam argenti fors quæ mihi monstret, ut illi,
> Thesauro invento qui mercennarius agrum
> Illum ipsum mercatus aravit, dives *amico*
> *Hercule.*

Præterea cf. cum vss. 8—12. Petron. 88: «Ac ne bonam quidem mentem aut bonam valetudinem petunt, sed statim, antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius, si thesaurum effoderit» et Horatii locum, quem Persius procul dubio imitatus est, Ep. I. 16, 57—62:

> Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
> Quandocumque deos vel porco vel bove placat,
> «Iane pater» clare, clare cum dixit «Apollo»,
> Labra movet metuens audiri: «Pulchra Laverna,
> Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
> Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem».

V. 12—14. *pupillumve utinam, quem proximus heres Impello, expungam,* recte scholia: «Non utique tutor cuius sit, sed puerum adhuc intra pupillares annos constitutum et nondum suæ tutelæ, cuius secundus heres substitutus est, si efferatur». Agitur enim *de pupillari substitutione,* de qua Gai. II. 174: «Liberis nostris impuberibus, quos in potestate habemus, non solum ita, ut supra diximus, substituere

possumus, id est, ut si heredes non exstiterint, alius nobis heres sit, sed eo amplius, ut, etiamsi heredes nobis exstiterint et adhuc impuberes mortui fuerint, sit iis aliquis heres, velut hoc: «Titus filius mihi heres esto; si filius meus mihi heres non erit, sive heres erit et prius moriatur, quam in tutelam suam venerit, Seius heres esto». Quo casu siquidem non exstiterit heres filius, substitutus patri fit heres; si vero heres exstiterit filius et ante pubertatem decesserit, ipsi filio fit heres substitutus». Heredi substituto igitur optandum erat, ut pupillus ante pubertatem moreretur. Eandem rem tangit Hor. Sat. II. 5, 45—50, ubi agitur de heredipetis: «Si cui præterea validus male filius in re Præclara sublatus aletur... leniter in spem Adrepe officiosus, ut et scribare *secundus* Heres et, si quis casus puerum egerit Orco, In vacuum venias.» — *proximus heres*, heres pupillari substitutione secundus. — *Impello*, sequor, urgeo, premo. Secundus heres in tabulis testamenti impellit primum, tertius secundum, ut properantes in multitudine homines eos, qui præcedunt, premunt, ut viam sibi patefaciant. — *expungam*, expungere est delere aliquid in tabulis ceratis, hoc loco nomen pupilli mortui in tabulis testamenti. — *namque est scabiosus et acri Bile tumet*, pupillus adeo infirma valetudine laborat, ut mori melius sit ei, quam in vita manere. — *scabiosus*, morbo fœdissimo laborans, Hungarice *rühös*, Germanice *räudig*. — *acri Bile tumet*, luridæ bilis suffusione sive morbo regio (Hungarice *sárgaság*, Germanice *Gelbsucht*) laborat; Græce δριμεῖα χολή. Cf. Joan. Chrys. homil. in Math. 63: Καθάπερ οἱ πυρέττοντες καὶ *δριμεῖαν χολὴν* ἔνδον ἔχοντες πλεονάζουσαν, ὅτ' ἂν ἐπεμβάλωσι (τινὰ) σιτὰ καὶ ποτά, οὐ μόνον οὐ κατασβεννύουσι τὸ *δίψος*, ἀλλὰ καὶ ἀνάπτουσι τὴν φλόγα etc. Agi autem hoc Joan. Chrys. loco de morbo regio docemur Cels. De med. III. 24: «Aeque no-

tus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant. Quem Hippocrates ait, si post septimum diem febricitante ægro supervenit, tutum esse... Soletque accedere et *sitis* et dolor capitis et frequens singultus». Utrumque morbum, scabiem et morbum regium, complectitur Hor. A. P. 453., quem locum Persius ante oculos habuisse videtur: «Ut mala quem scabies aut morbus regius urguet». — *Nerio iam tertia conditur uxor,* Nerius iam tres uxores sepelivit et dotibus earum locupletatus est. Recte scholia: «Dos enim a cive Romano data, non ex patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet». Agitur enim de *dote adventicia,* non a patre profecta, de qua cf. Ulp. VI. 4—5: «Mortua in matrimonio muliere dos a patre profecta ad patrem revertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. Adventicia autem dos semper penes maritum remanet». — *Nerio,* Nerius, nomen ab Horatio sumptum; apud Horatium enim occurrit Sat. II. 3, 69 («scribe decem a Nerio») nomen Nerii trapezitæ. — *conditur,* sc. sepulcro; condere pro sepelire, ut Tac. Hist. V. 5: «Corpora condere quam cremare e more Aegyptio».

V. 15—16. *Hæc,* sc. tam turpia. — *sancte,* ut deorum cultus postulat. — *Tiberino in gurgite mergis Mane caput,* qui ad sacra accedebant, solebant se flumine vivo lustrare; cf. Verg. Aen. II. 719—720: «(sacra) Attrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero». Romani autem lustrandi causa in Tiberi matutino tempore lavabantur. Cf. Hor. Sat. II. 3, 291—292:

> Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
> In Tiberi stabit;

Juv. VI. 523—524:

Ter matutino Tiberi mergetur et ipsis
Verticibus timidum caput abluet.

— *bis terque,* i. e. ter, quia in omnibus fere cærimoniis sanctus putabatur numerus ternarius, — *et noctem flumine purgas,* cf. Serv. ad Aen. VIII. 69: «Quia nox dicitur etiam solo somno polluere». Maxime autem nocturno concubitu homines pollui credebantur, ut Cic. pro Cæl. 14, 34. docemur cumque *nox* ipsa apud scriptores sæpe pro nocturno concubitu ponatur (Cf. Ov. Fast. IV. 109—110: «Primus amans carmen vigilatum *nocte* negata Dicitur ad clausas concinuisse fores»; Hor. Ep. I. 15, 13: «Ne ferat adsiduas potiori te dare *noctis*»), probanda est nobis scholiorum explicatio: «Lotus, propterea quod nocturno coitu sis inquinatus». Cf. Tib. II. 1, 11—12: «discedat ab aris, Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus,» et Ov. Amor. III. 7. 53—54: «A tenera quisquam sic surgit mane puella, Protinus ut sanctos possit adire deos?»

Pars tertia (v. 17—30.) *Tales homines, quæ a diis precantur, ne improbissimo quidem homini committere auderent putantque Iovem impia vota sibi ignovisse, quia non statim fulmine tangantur.*

V. 17—20. *Heus age, responde,* poeta alloquitur avarum, qui vss. 9—14. turpissima vota fecit. — *minimum est, quod scire laboro,* scire cupio; cf. Hor. Ep. I. 3, 2: «scire laboro», Sat. II. 8, 19: «nosse laboro»; Cic. Verr. III. 127: «Si sociis fidelissimis prospicere non laboratis». — *De Iove quid sentis?* Qualem tu putas esse Iovem Optimum Maximum? — *Estne ut præponere cures hunc...?* Estne causa, ut eum præponas...? Estne cur eum meliorem putes, quam...? Sententiam finire poeta non potest, quia avarus eum interpellat: «Cuinam?» — *Estne ut* pro *est causa ut* vel pro

est cur, ut apud Cic. pro Cæl. 6: «Magis est, ut ipse moleste ferat errasse se . . . quam ut amicitiæ crimen reformidet,» De div. I. 56: «non est. ut mirandum sit.» — *præponere cures,* præponere velis; cf. infra III. 78: «non ego curo Esse, quod Arcesilas»; Cic. pro Flacc. 64: «qui res istas scire curavit». — «*Cuinam?*» ita interpellat avarus ille poetam: cuinam ego præponam Iovem? — *Cuinam?* poeta repetit interrogationem avari cogitabundus, quia non venit ei statim in mentem, cui Iovem præponendum esse dicat. — *Vis Staio?* visne tu Staio Iovem præponere? De Staio vide adnotationem ad vs. sq. — *An scilicet hæres, Quis potior iudex puerisve quis aptior orbis;* an dubitas, uter melior iudex meliorve tutor sit, Iuppiter an Staius? Ironice dictum; poeta enim C. Aelium Pætum Staienum intelligit, iudicem Ciceronis tempore famosum, de quo apud Ciceronem (pro Clu. 65.) legimus: «Dico C. Aelio Staieno iudici pecuniam grandem Statium Album ad corrumpendum iudicium dedisse». Eundem pecuniam pupilli cuiusdam perfide suppressisse docemur Cic pro Clu. 25, 68: «Staienus ille biennio ante, quam causam bonorum Safinii Atellæ recepisset, sescentis milibus nummum se iudicium corrupturum esse dixerat. Quæ cum accepisset *a pupillo,* suppressit; iudicioque facto nec Safinio nec bonorum emptoribus reddidit». Nomen eius videtur in proverbium abiisse; cf. Cic. Brut. 244: «Hoc vero non putabam te usque ad *Staienos* et Autronios esse venturum». Hic Staienus autem, ut in gentem Aeliam irrepere posset, se falso Aelium Pætum nominavit, ut Cicero testatur pro Clu. 72: «Quid tu, inquit, Pæte? Hoc enim sibi Staienus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat» et Brut. 241: «Et C. Staienus, qui *se ipse adoptaverat* et de Staieno Aelium fecerat.» Persius igitur, qui pro *Staieno* dixit *Staium,* videtur credidisse eum

ante falsam illam adoptionem appellatum fuisse *Staium;* adoptione enim ex Octavio Octavianus, ex Aemilio Aemilianus fit, ex Staio Staianus sive Staienus. Nomen *Staius* occurrit in titulis; vide CIL. II. 120 et 4975. XII. 5145, XIV. 4203. Quamquam fieri potuit, ut Persius memoria lapsus sit et pro *Staieno* apud Ciceronem lecto errore scripserit *Staium.* — *scilicet,* ironice. — *hæres,* dubius hæres, dubitas; cf. Juv. III. 135—136: «hæres Et dubitas alta Chionen deducere sella.» — *puerisve quis aptior orbis,* supple: tuendis; quis est aptior munere tutoris fungi?

V. 21—23. *Hoc igitur,* turpia vota vss. 9—14. enumerata. — *quo tu Iovis aurem impellere temptas, Dic agedum Staio,* quod tu Iovi Optimo Maximo dicere audes, dic homini improbissimo. — *Iovis aurem impellere,* de sono, qui aures percutit. Cf. Verg. Aen. XII. 618: «arrectasque impulit aures Confusæ sonus urbis,» Ge. IV. 349: «maternas impulit aures Luctus Aristæi.» — *Dic agedum, agedum* cum imperativo, ut Lucr. III. 962: «Aequo animoque, agedum, gnatis concede»; Prop. I. 1, 21: «En agedum dominæ mentem convertite nostræ». — *Pro Iuppiter, o bone, clamet, Iuppiter,* etiam homo improbissimus, his turpibus votis auditis, indignabundus exlamabit. — *Pro Iuppiter,* exlamatio indignantis, ut apud Ovidium illud Aiacis (Met. XIII. 5—6): «Agimus, pro Iuppiter, inquit, Ante rates causam et mecum confertur Ulixes!» — *o bone . . . Iuppiter,* simile est apud Horatium (Sat. I. 2, 17—18): »Maxime, quis non, Iuppiter, exclamat, simul atque audivit.» — *At sese non clamet Iuppiter ipse,* iocose: Iuppiter ipse propter indignationem *Iovem* clamabit.

V. 24—25. *Ignovisse putas,* putas Iovem tibi ignovisse, quia fulmine arbores discutit, non te domumque tuam. — *cum tonat,* sc. Iuppiter; est enim Iuppiter deus Tonans. —

ocius, prius. — *ilex*, quercus, arbor Iovi sacra, quæ tamen prius fulmine discutitur, quam homo scelestus; unde stulti putant Iovem sibi ignovisse. — *sulpure ... sacro*, fulmine sacro; *sulpur* pro fulmine, quia teste Plinio (N. H. XXXV. 177.): «Fulmina, fulgura quoque sulpuris odorem habent ac lux ipsa eorum sulpurea est»; cf. Lucan. VII. 160: «Aetherioque nocens fumavit sulpure ferrum». Fulmen sacrum est, quia mittitur a Iove; similiter Ammianus Marcellinus (XXIII. 13.) fulmen *ignem sacrum* appellat. — *discutitur*, cf. Lucr. VI. 416—417:

> Postremo cur sancta deum delubra suasque
> *Discutit* infesto præclaras fulmine sedes.

— *tuque domusque*, tu et tui; cf. oraculum apud Herodotum (VI. 86.): Συμμάρψας ὀλέσει γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα, quod respexit Juv. XIII. 206: «Extinctus tota pariter cum prole domoque».

V. 26—30. *An quia non fibris ovium Ergennaque iubente Triste iaces lucis evitandumque bidental*, recte scholia: «In usu fuit, ut haruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius in paratione rei oves immolabantur. Hoc ergo dixit: et quia necdum te fulmine percussum sepelivit cæsis hostiis Ergenna, ideo derides Iovem?» — *fibris ovium*, supple: iubentibus; haruspex enim, qui reliquias fulguris condit, oves immolat earumque exta consulit. — *Ergennaque iubente*, Ergenna, ut Porsenna, Sisenna, Perpenna, est nomen Etruscum; hoc loco nomen haruspicis, quia ex Etruria Romam acciti sunt haruspices totaque eorum disciplina Etruscæ originis erat. — *Triste iaces lucis evitandumque bidental*, locus fulmine percussus ab haruspicibus consecratus et muro lapideo cinctus vocabatur *bidental*, «quod

in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. *Bidentes* autem sunt oves duos dentes longiores ceteris habentes» (Fest. s. v.). Etiam homo fulmine percussus eodem loco sub bidentali humabatur, quia teste Plinio (N. H. II. 145.) «hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi terra religio tradit». Quare *bidental* hoc loco significat hominem sub bidentali conditum; idem *triste evitandumque* vocatur, quia fulgurales libri teste Ammiano Marcellino (XXXIII. 5.) talia loca nec intueri nec calcari debere iubebant. Cf. Hor. A. P. 471—472:

> Minxerit in patrios cineres aut *triste bidental*
> Moverit incestus . . .

— *lucis,* quia homines sub arboribus stantes facillime tanguntur fulmine. Cf. Hor Carm. I. 12, 60:

> Tu parum castis inimica mittes
> Fulmina lucis.

— *stolidam præbet . . . barbam,* pro: stolide pr. b., ut supra vs. 5: «*tacita* libabit acerra» pro: *tacite* l. a. — *præbet tibi vellere barbam Iuppiter,* præbet tibi barbam vellendam, patitur a te irrideri. Barbam vellere est genus irrisionis petulantissimum; cf. I. 133: «Si cynico barbam petulans nonaria vellat.» — *quidnam est, qua tu mercede,* pro: quidnam mercedis est, qua. — *Emeris auriculas,* qua mercede deos corrupisti, ut te exaudirent. Cf. supra vs. 3: «Non tu prece poscis emaci». — *Pulmone et lactibus unctis,* exta hostiarum diis sacrificata; ergo tam vilibus rebus putat avarus deos corrumpi posse. — *lactibus,* Hungarice *fodorháj,* Germanice *das Inster, das Gekröse;* vide scholia: «*Lactes* sunt loca in lateribus sub umbilico pube tenus adeo delicata, ut plagam ferre non possint» et Plin. N. H. XI.

200: «Ab hoc ventriculo *lactes* in ove et homine, per quas labitur cibus.» — *unctis*, pinguibus. Cf. IV. 17: «uncta vixisse patella». III. 102: «Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris», VI. 16: «cenare sine uncto».

Pars quarta (v. 31—40.) *Notatur stultitia anilis, qua aviæ aut materteræ superstitiosæ talia infantibus sibi caris petunt, quæ, si a diis darentur. haudquaquam essent iis saluti.*

V. 31—34. *Ecce avia aut metuens divum matertera cunis Exemit puerum*, avia et matertera (matris soror) sunt hoc loco exempla superstitionis anilis. — *Ecce*, ut supra I. 30: «Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.» — *metuens divum*, Græce δεισιδαίμων; cf. Ov. Fast. VI. 259—260: «quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit,» Met. I. 323: «aut illa metuentior ulla deorum». — *frontemque atque uda labella Infami digito et lustralibus ante salivis Expiat*, femina frontem et labia infantis digito medio saliva illito tangit ad averruncandam fascinationem. Cf. Petron. 131: «Mox turbatum sputo pulverem anus medio sustulit digito frontemque repugnantis signat.» — *frontemque*, erat enim frons Genio dedicata, ut Serv. ad Verg. Ecl. VI. 3. docemur. — *uda labella*, labia saliva madentia, qualia infantium esse solent. — *Infami digito*, digitus medius, quem Mart. VI. 70, 5. et Priap. 56, 1. *impudicum* vocant, obscœnam habebat significationem apud veteres propter similitudinem penis, quare maxima erat contumelia alicui eum ostendere; cf. Priap. 56, 1: «Derides quoque, fur, et impudicum Ostendis digitum mihi minanti»; Juv. X. 52—53: «cum Fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem». Eandem ob causam digitus medius, ut fascinum ipsum, penis imago (φαλλὸς Græcorum), vim

quandam habere credebatur ad averruncandam fascinationem. Cf. Petronii locum (c. 131.) supra laudatum. — *lustralibus ante salivis*, recte scholia: «lustralibus salivis, purgatoriis, liberantibus puerum ex omni malo, quod dicunt mulieres, fascino» id est: fascinatione. Salivam et fascinum (φαλλὸν) infantibus malam fascinationem avertere docet etiam Plin. N. H. XXVIII. 39: «Nos hæc credamus rite fieri, extranei interventu aut, si dormiens spectetur infans, a nutrice terna *adspui?* Quamquam illos religione muta tutatur et *fascinus*, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiæ.» — *expiat*, piaculis adhibitis lustrat, purgat. Sunt antem hoc loco piacula: digitus medius et saliva. — *urentis oculos inhibere perita*, fascinandi vim oculis inesse putabant veteres et putat hodie quoque vulgus superstitiosum; avia igitur et matertera infami digito et saliva hoc genus fascinationis averruncare student. Cf. Plut. Quæst. Symp. V. 1: Γιγνώσκομεν γὰρ ἀνθρώπους τῷ καταβλέπειν τὰ παιδία μάλιστα βλάπτοντας; Verg. Ecl. III. 103: «Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.» — *urentis oculos*, fascinantes, Hungarice: «megverni valakit szemmel», Germanice «der böse Blick.» — *inhibere perita*, recte scholia: «perita prohibere, ne fascinent».

V. 35—40. *Tunc manibus quatit*, sc. infantem, quod facere solent, qui infantibus blandiuntur; cf. Hom. Il. VI. 474. de Hectore filium ulnis fovente: Αὐτὰρ ὅγ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κόσε πῆλέ τε χερσίν. — *et spem macram supplice voto Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes*, vota diis facit, ut infans olim Licini Crassique divitias adipiscatur, quamquam exigua spes est infantem unquam eas adepturum esse. — *spem macram*, exiguam. — *Licini in*

campos, Licinus C. Julii Cæsaris servus et dispensator fuit; postea ab Octaviano manumissus est et tantas opes sibi comparavit, ut nomen eius in proverbium venerit. Cf. Senec Ep. 120, 20: «Licinum divitiis, Apicium cenis, Mæcenatem deliciis provocant», ibidem: «Quorum nomina cum Licino Crassoque nominantur»; Juv. I. 108—109: «ego possideo plus Pallante et Licinis», XIV. 305—306: «Dispositis prædives amis vigilare cohortem Servorum noctu Licinus iubet.» — *in campos*, agros, latifundia. — *Crassi mittit in ædes*, M. Licinius Crassus, triumvir, cuius divitiæ iam Ciceronis tempore in proverbium venerunt. Cf. Cic. De fin. III. 75: «Rectius dives (appellabitur sapiens), quam Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset.» — *in ædes*, Varro apud Non. s. v. *religio* commemorat «divitis atria Crassi». — *Hunc optent generum rex et regina*, fabulosam fortunam infanti optat anus superstitiosa. — *puellæ Hunc rapiant*, amore eum diripiant; cf. Juv. VI. 404: «qui diripiatur adulter.» — *quidquid calcaverit hic, rosa fiat*, est allegoria fabulosæ felicitatis. Cf. Mart. VIII. 77: «Liber in æterna vivere digne rosa» (Hungarice: «rózsás élet,» Germanice: «in Rosen leben»); Claudian. L. Seren. 89—90: «quacumque per herbam Reptares, fluxere rosæ». — *Ast ego nutrici non mando vota*, ut supra vs. 31. avia et matertera, hoc loco *nutrix* ponitur pro femina stulta et superstitiosa, quæ vota faciat dementia. Cf. Senec. Ep. 60, 1: «Etiam nunc optas, quod tibi optavit *nutrix* tua aut pædagogus aut mater? Nondum intellegis, quantum mali optaverint?»; Hor. Ep. I. 4, 8: «Quid voveat dulci *nutricula* maius alumno.» — *negato, Iuppiter, hæc illi, quamvis te albata rogarit*, sententia ex Alcibiade II. Pseudo-Platonico mutuata, ubi p. 143. leguntur hi versus:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.

— *albata,* alba veste utebantur, qui ad templa deorum accedebant; cf. Plaut. Rud. I. 5, 11: «æquius vos erat Candidatas venire hostiatasque ad hoc Fanum; ad istunc modum non veniri solet»; Phil. Jud. De Caino p. 124. C: λευχειμονοῦντες μὲν εἰς τὰ ἱερὰ βαδίζειν σπουδάζουσιν, ἀχηλιδώτους ἐσθῆτας ἀμπεχόμενοι, διάνοιαν δὲ κεκηλιδωμένην ἄχρι τῶν ἀδύτων εἰσάγοντες οὐκ αἰδοῦνται.

Pars quinta (v. 41—43.) *Multi, qui bonam valetudinem a diis poscunt, eam ipsam epulis opimis, quas in sacrificiis instruunt, corrumpunt.*

V. 41—43. *Poscis opem nervis,* deos rogas, ut nervis tuis vires dent. — *opem,* ops et opes sæpe idem significant, quod vires; cf. solitas locutiones: summa ope niti, omnibus viribus atque opibus resistere. — *corpusque fidele senectæ* (dat.), corpus, cuius vires usque ad senectutem permaneant. — *fidele* sensu translato sæpius dicitur, quod firmum ac durabile est; *fidelis lorica* occurrit apud Vergilium (Aen. IX. 707.), *fidelis structura* apud Frontinum (Aquæd. 123.) *fidele glutinum* et *fidelior pice* apud Plinium (N. H. XXVIII. 71, 1. et XVI. 64, 2.) — *Esto,* bene est. — *age,* age, poscas hæc. — *Sed grandes patinæ tuccetaque crassa Adnuere his superos vetuere Iovemque morantur,* bonam valetudinem, quam a diis poscis, ipse corrumpis epulis luxuriosis, quas in ipsis sacrificiis celebras. Cf. Diogenis Cynici verba apud Diog. Laert. VI. 2, 28: ἐκίνει αὐτὸν τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν; Clem. Alex. Strom. VII. p. 302. Sylb.: εἶτα νήφοντες μὲν ὑγιείαν αἰτοῦνται, ὑπερπιμπλάμενοι δὲ καὶ μέθαις ἐγκυλιόμενοι κατὰ τὰς ἑορτὰς νόσους ἐπισπῶνται. — *grandes pati-*

næ, cf. Hor. Sat. II. 2, 95: «grandes rhombi patinæque Grande ferunt una cum damno dedecus.» — *tuccetaque crassa*, cf. scholia: «Apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur caro condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata, et ideo toto anno durat». — *Adnuere his*, precibus tuis adnuere, optata tua explere; cf. Verg. Ge. I. 40: «audacibus adnue cœptis», Plin. Ep. I. 22, 11: «Superest, ut promissis deus annuat». — *Iovemque morantur*, Iovem tibi propitium esse non sinunt.

Pars sexta (v. 44—51.) *Multi laetum proventum gregibus petunt, sed plurimas hostias ex iis immolando spem fetus ipsi sibi adimunt.*

V. 44—47. *Rem struere*, rem familiarem augere; cf. Fest. s. v. *struere* (p. 450. ed. Thewrewk): «Struere antiqui dicebant pro adicere, augere»; Hor. Sat. I. 1, 35: «addit acervo, Quem struit.» — *caeso bove*, bovem sacrificando. — *Mercuriumque Accersis fibra*, Mercurium in auxilium vocas sacrificio. — *Mercuriumque*, non solum, quia deus lucri est, sed etiam, quia, ut νόμιος (Aristoph. Thesm. 977.) et ἐπιμήλιος (Paus. IX. 34, 2.) pecorum curam gerit; is enim, qui hoc loco sacrificare dicitur, ut vs. 46. docemur, pecoribus vult ditescere. — *fibra*, exta hostiarum deo sacrificata; cf. Verg. Ge. III. 490: «Inde neque impositis ardent altaria fibris». — *Da fortunare Penatis*, fortunatos fac penates meos i. e. domum meam. — *Da*, de deo, ut Hor. Sat. II. 3, 191: «Di tibi dent capta classem deducere Troia»; Ov. Met. I. 486: «Da, femina ne sim.» — *fortunare*, Hungarice *megáldani*, Germanice *segnen*, verbum in precibus sollemne; cf. Non. s. v. *fortunare*: «Deos ego omnes, ut fortunassint, precor»; Cic. Epp. ad divv. II. 2: «Tibi patrimonium dei fortunent.» — *Penatis*, Penates familiares sive privati, qui penus curam gerebant, hoc loco, ut sæpis-

sime, ipsam domum significant. — *Da pecus,* cf. preces ad Mercurium apud Hor. Sat. II. 6, 13—14: «hac prece te oro: Pingue pecus domino facias». — *Quo, pessime, pacto, Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant,* quomodo dent dii gregibus tuis fetum, cum tot iuvencas sacrificando spem fetus tibi ipse adimas? — *Quo, pessime, pacto,* cf. Hor. Sat. II. 7, 22: «Quo pacto, pessime.» — *in flammis . . . omenta liquescant,* imitatur Catull. 90, 6: «Omentum in flamma pingue liquefaciens.» — *in flammis,* in ara, ubi sacrificas. — *iunix,* iunix, iuvenix sive iuvenca est vacca nondum ad maturam ætatem provecta, quales diis potissimum sacrificare solebant antiqui; cf. Hor. Ep. I. 3, 36: «Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca». — *omenta,* omentum est membrana pinguis, quod exta tegit; cf. Plin. N. H. XI. 204: «Ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento integuntur».

V. 48—51. *extis,* exta enim hostiarum diis sacrificabantur; cf. Paul. Fest. s. v. (p. 55. ed Thewrewk): «Exta dicta, quod ea diis prosecentur, quæ maxime exstant eminentque.» — *opimo . . . ferto,* de ferto sive fercto vide Paul. Fest. s. v. (p. 60. ed. Thewrewk): «Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quæ qui adferebant, *struferctari* appellabantur». Hoc *ferctum* autem *opimum* est oleo et melle admixtis. — *vincere,* quod vult, assequi; cf. Ov. Met. VI. 513: «Vicimus, exclamat, mecum mea vota feruntur», Trist. III. 9, 23—24: «vicimus, inquit, Hic mihi morte sua causa salutis erit». — *Intendit,* sc. vincere, conatur vincere; cf. Sall. Iug. 115: «quo ire intenderant, perventum est»; Liv. 36, 45: «Postero die hostem persequi intenderunt.» — *Iam dabitur,* supple: quod rogavi. — *donec deceptus et exspes Nequiquam: «Fundo» suspiret «nummus in imo,»* donec

vana spe deceptus et desperans sero intellegat se pecuniam, hostias pretiosas, quales invencæ sunt, diis immolando, profudisse. — *Fundo . . . nummus in imo,* nummus iam in imo fundo arcæ est, iam nummi admodum pauci sunt in arca. Cf. Hes. Opp. 369: δειλὴ δ' ἐνὶ πόθμενι φειδώ et Senec. Ep. 1, 5: «Sera parsimonia in fundo est».

Pars septima (v. 52—60.) *Homines avaritiam suam etiam diis affingunt; quare diis quoque nihil gratius esse putant auro imaginesque eorum, ut votorum compotes fiant, deaurant antiquamque simplicitatem etiam ex templis expellunt.*

V. 52—54. *crateras,* nominativus est *cratera.* Sed codex Montepessulanus 212. et Vaticanus 36. H. habent: *creterras,* quam formam usitatam fuisse docet Paul. Fest. s. v. (p. 37. ed. Thewrewk): «*Creterrae* vocabulum trahitur a cratere, quod vas est vini.» — *incusaque pingui Auro dona,* vasa argentea auro incusa, id est: aureis emblematibus ornata. Emblemata enim appellabantur anaglypha, quæ seorsum perfecta extrinsecus addebantur vasculis. Cf. Senec. Ep. 5, 2: «Non habeamus argentum, in quod solidi auri cælatura descenderit»; Cic. Verr. IV. 49: «Argentum ille ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur, duo pocula non magna, verum tamen cum emblemate.» — *incusaque, incudo* hoc loco idem significat, quod Græce ἐμπαίω, vasa emblemate ornare, unde ars talia vasa faciendi τέχνη ἐμπαιστικὴ vocabatur. — *pingui Auro,* crasso auro, non tenui, quod pretium vasis auget. — *sudes,* nimio gaudio sudes. Cf. versum Aspasiæ apud Athen. V. 219. C: Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα, χαρᾶς ὕπο σῶμα λιπαίνω Ἱδρῶτι. — *pectore lævo,* quia in sinistra parte pectoris cor est. Cf. Iuv. VII. 158—160: «culpa docentis Scilicet arguitur, quod lævæ parte mamillæ Nil salit Arcadico iuveni». — *Excutiat gut-*

tas sc. sudoris; *sudorem excutere* occurrit apud Corn. Nep. Eumen. 5: «Qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret.» — *lætari prætrepidum cor,* cor gaudio nimium trepidans, iusto vehementius saliens. Cf. adnotationem ad I. 20: «Ingentis trepidare Titos.» — *lætari prætrepidum,* de usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *prætrepidum,* hoc loco de gaudio; de angore Suet. Tib. 63. et Ner. 41: «prætrepidus senatus».

V. 55—58. *Hinc illud subiit,* propter insitam avaritiam illud subiit animum tuum, quod etc. — *subiit,* in mentem venit, ut Ov. Trist. III. 8, 38: «Quid sim quid fuerimque subit»; Plin. N. H. XXXV. 49: «Qua contemplatione tot colorum tanta varietate subit antiquitatem mirari»; Verg. Aen. II. 560: «subiit cari genitoris imago». Ultima syllaba verbi *subiit* in arsi producta est, ut Hor. Sat. I. 4, 82: «Qui non *defendit* alio culpante, solutos», Sat. II. 1, 82: «Si mala *condiderit* in quem quis carmina, ius est.» — *auro sacras quod ovato Perducis facies,* quod auro victoriis acquisito facies sacrarum statuarum obducis. Nam apud veteres more receptum erat, ut statuas deorum grati animi testificandi causa vel totas vel ex parte inaurandas curarent; cf. Athenagoræ locum (c. 26. p. 30.): Οἱ μὲν ἄλλοι ἀνδριάντες τοῦ Νερυλλίνου κόσμημά εἰσι δημόσιον, εἷς δὲ αὐτῶν καὶ χρηματίζειν καὶ ἰᾶσθαι νομίζεται καὶ θύουσιν αὐτῷ καὶ χρυσῷ περιαλείφουσι καὶ στεφανοῦσι τὸν ἀνδριάντα οἱ Τρφαδεῖς. Statuas inauratas respexit etiam Iuv. XIII. 150—152:

> Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
> Radat *inaurati* femur Herculis et *faciem ipsam*
> Neptuni, qui *bratteolam* de Castore ducat.

— *auro . . . ovato,* agitur de auro victoriis acquisito et in

ovationis pompa circumducto. Referendum verisimiliter ad Tiberii triumphum; vide infra ad vs. 56. Solent interpretes conferre Ov. Ex Pont. II. 1, 41–42:

> Deque *triumphato*, quod sol incenderit, auro
> Aurea Romani tecta fuissa fori,

quem locum Persius ante oculos habuisse videtur. – *perducis*, inducis, obducis, cf. Verg. Ge. IV. 415–416: «ambrosiæ diffundit odorem, Quo totum nati corpus perduxit». – *Nam fratres inter aenos, Somnia pituita qui purgatissima mittunt, Præcipui sunto sitque illis aurea barba;* locum admodum difficilem scholia ita explicant: «Acron tradit, quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerint L Danaidum effigies et contra eas sub divo totidem *equestres filiorum Aegypti*. Ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula». Sed testimonium scholiorum argumentis gravissimis infirmavit *Jahn* (p. 133. ed. mai.): «Danaidum statuæ in illa porticu positæ etiam ab aliis commemorantur (Propert. III. 29. [II. 23.], 4; Ov. A. A. I. 73. sq. Am. II. 2, 4. Trist. III. 1, 60. sqq.), unde discimus fuisse eas inter columnas porticus collocatas unaque cum iis patrem Danaum stricto ense. Permirum vero accidit, quod nunquam Aegyptiadarum mentionem faciunt scriptores, qui Danaides admirantur, atqui quinquaginta statuæ equestres etiam Romæ res erat admiratione sane digna. Porro cur Aegypti filiis statuæ equestres ponerentur, nulla quantum video causa inveniri potest. Quare vereor, ne in hac narratione error quidam insit et statuæ Aegyptiadarum non nimis firmo talo consistant. Verum ut fuerint, hic eos in mente habere Persius non potuit. Primum enim non est credibile Aegypti filios somnia misisse et tamquam deos fatidicos venerationem accepisse, tum ex tali quinquaginta

statuarum serie ad ordinandam porticum collocatarum, inter se igitur simillimarum, unum alterumve eximie beneficum habitum fuisse et tali præ ceteris barbam pro lubitu deaurare licuisse vix mihi persuadeam». Mea quidem sententia *fratres* intellegendi sunt *Dioscuri,* Castor et Pollux, quos Ov. Fast. I. 707. et Suet. Cal. 22. *fratres deos* appellant. Dioscuris autem templum dedicavit suo fratrisque Drusi nomine Tiberius a. 6. p. Chr. n., ut testantur Ov. Fast. I. 705—708:

> At quæ venturas præcedit sexta Kalendas,
> Hac sunt Ledæis templa dicata deis.
> *Fratribus* illa *deis* fratres de gente deorum
> Circa Iuturnæ composuere lacus,

et Suet. Tib. 20: «A Germania in urbem post biennium regressus triumphum, quem distulerat, egit (Tiberius) . . . Dedicavit et *Concordiæ* ædem, item *Pollucis* et *Castoris* suo fratrisque nomine *de manubiis*». Quod Suetonius dicit: *de manubiis,* mire congruit cum vss. 55—56: «*auro* sacras quod *ovato* Perducis facies»; cf. etiam Ovidii verba de Tiberio ædem *Concordiæ* dedicante Fast. I. 647—648:

> Inde *triumphatæ* libasti munera gentis
> Templaque fecisti, quam colis ipse, deæ.

Quare Tiberium in æde a se dedicata statuas collocasse Castoris et Pollucis eisque ex *auro ovato* barbam affixisse suspicor et vss. 56—58., ipsa Tiberii verba, ita explico: «Hæ statuæ, quas ego Castori et Polluci pono, inter statuas aeneas fratrum deorum, qui somnia maxime veridica mittunt, præcipuæ sunto sitque illis aurea barba». Ex eo autem, quod Dioscuros *vera somnia* mittentes appellat, coniicere licet illos Tiberio bellum gerenti in somno apparuisse eique

bonum consilium dedisse et fortasse hanc fuisse causam templum iis dedicandi. Nam Tiberium somnia fatidica habuisse docemur Suet. Tib. 74: «Supremo natali suo Apollinem Temenitem et amplitudinis et artis eximiæ, advectum Syracusis, ut in bibliotheca templi novi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari». — *Somnia... pituita purgatissima,* somnia clara et veridica; nam qui pituita stomachi gravantur, confusa et stulta habent somnia; cf. Hor. Sat. II. 2, 75: «Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum Lenta feret pituita.» — *pituita,* tribus syllabis *(pitvita)* pronuntiandum, ut apud Hor. Sat. II. 2, 76, Ep. I. 1, 108. — *aurea barba,* statuis deorum interdum auream barbam affixam fuisse docemur Cic. De nat. de. III. 34: «(Dionysius) Aesculapii Epidaurii barbam auream demi iussit, neque enim convenire barbatum esse filium, cui in omnibus fanis pater imberbis esset». Inauratam Castoris statuam commemorat etiam Iuv. XIII. vss. 150—152. supra ad vs. 55. («auro sacras quod ovato Perducis facies») laud.

V. 59—60. *Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit æra,* homines antiquam simplicitatem exuentes etiam in sacris utuntur vasis aureis, non fictilibus aut æreis. — *vasa Numæ,* Numa Pompilius, qui apud Romanos rem divinam primus instituisse fertur, in sacrificiis utebatur vasis fictilibus. Cf. Cic. Parad. I. 2: «Quid? Numæ Pompilii minusne gratas dis immortalibus *capedines* ac *fictiles urnulas* fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?»; Juv. VI. 342—345:

> Et quis tunc hominum contemptor numinis? Aut quis
> *Simpuvium* ridere Numæ nigrumque catinum
> Et Vaticano fragiles de monte patellas
> Ausus erat?

— *Saturniaque . . . æra,* vasa sacra ex ære facta, quæ poeta ideo vocat *Saturnia,* quia, ut scholia recte explicant, «Saturno in Italia regnante æs in usu fuit, quod etiam postea in æde Saturni condebatur, unde ærarium dictum est. Nondum enim fuerat argentum neque aurum». Aerarium in æde Saturni fuisse testantur Varr. L. L. V. 183. et Macrob. Sat. I. 8. *Aera* pro vasis æreis, ut Hor. Carm. IV. 8, 1—2: «Donarem pateras grataque commodus Censorine, meis æra sodalibus». — *impulit,* removit; cf. Tac. Hist. IV. 34: «castra in hostem movit, quem si statim *impellere* cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit;» Lucan. I. 149: «*impellens,* quidquid sibi summa petenti Obstaret». — *Vestalesque urnas,* virgines Vestales vasis fictilibus utebantur in sacrificiis. Cf. Val. Max. IV. 4, 11: «Per æternos Vestæ focos fictilibus etiam nunc vasis contentos iuro». *Urnis* autem Vestales utebantur, ut aquam ex flumine vivo haurirent, qua ædem conspergerent et vasa sacra purgarent. Cf. Prop. IV. 4, 16. de Tarpeia Vestali: «Hinc Tarpeia deæ fontem libavit: at illi Urgebat medium fictilis urna caput»; Ov. Fast. III. 11—14:

Silvia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
Ponitur e summa *fictilis urna* manu.

— *Tuscum fictile,* simulacra deorum fictilia, qualia Etrusci olim faciebant. Cf. Plin. N. H. XXXV. 157: «Præterea elaboratam hanc artem (statuas fingendi) Italiæ et maxime *Etruriæ, Volcam Veis accitum,* cui locaret Tarquinius Priscus Iovis effigiem in Capitolio dicandam. *Fictilem* eum fuisse et ideo miniari solitum, fictilis in fastigio templi eius

quadrigas, de quibus sæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe retinet. Hæ enim tum effigies deorum erant laudatissimæ nec pænitet illorum, qui talis deos coluere; aurum enim et argentum ne dis quidem conficiebant».

Pars octava (v. 61—70.) *Avaritia et luxuria homines adeo corrumpit, ut deorum naturam cognoscere non possint suorumque vitiorum instrumenta etiam diis sacra esse velint, quamquam diis auri haud maior usus est, quam rerum vilissimarum, quas pia superstitio iis dedicare solet.*

V. 61—63. *O curvæ in terras animæ,* quæ, ut bestiæ, pronæ terram spectant, non cælum intuentur; semper in rebus terrestribus occupatæ sunt, cælestia non curant. Cf. Sall. Cat. 1: «pecora, quæ natura prona atque ventri obœdientia finxit»; Ov. Met. I. 84—86:

> Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
> Os homini sublime dedit cælumque tueri
> Iussit et erectos ad sidera tollere vultus;

Epict. I. 13: Ὁρᾷς ποῦ βλέπεις; ὅτι εἰς τὴν γῆν, ὅτι εἰς τὸ βάραθρον, ὅτι εἰς τοὺς ταλαιπώρους νόμους τῶν νεκρῶν; εἰς δὲ τοὺς τῶν θεῶν οὐ βλέπεις. — *curvæ in terras,* ut: pronus in terram. — *cælestium inanes,* rerum divinarum scientiæ inanes, cælestium rerum ignaræ; homines enim, qui semper in rebus terrestribus sunt occupati, cælestia non curant, ignorant deorum naturam eosque ut mortales auro delectari putant. *Inanis* cum genitivo, ut Cic. Mur. 12: «inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem et stultitiæ plenissima»; Ov. Met. II. 611: «corpus inane animæ.» — *nostros... mores,* mores sæculi nostri, avaritiam et luxuriam. — *Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa,* ea, quæ diis bona videantur, ex hoc scelerato corpore humano

deducere; existimare, ea esse diis bona, quæ huic scelerato corpori bona sunt. *Ducere* pro *deducere*, ut Cic. De nat. deor. II. 19: «Ex quattuor temporum mutationibus omnium... initia causæque ducuntur», De fin. V. 6, 17: «omnis ab eo quasi capite de summo bono et malo disputatio ducitur». *Corpus* autem sceleratum dixit ex doctrina Stoicorum, qui perturbationes animi (τὰ πάθη), unde omnia scelera orerentur, ex animi cum corpore coniunctione deducebant. Hanc doctrinam optime exposuit Vergilius in Aen. VI., ubi de animo humano dicit (vss. 730—732.):

> Igneus est ollis vigor et cælestis origo
> Seminibus, quantum non *noxia corpora* tardant
> Terrenique hebetant artus moribundaque membra,

deinde ex corpore oriri docet quattuor perturbationes animi, quas Stoici distinguebant, scilicet: formidinem, cupiditatem, ægritudinem et voluptatem (vss. 733—734):

> Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque neque auras
> Dispiciunt clausæ tenebris et carcere cæco.

— *pulpa* est caro sine ossibus; hoc loco idem significat, quod *caro* et ponitur pro corpore, viliore naturæ humanæ parte. Imitatur poeta Stoicos, apud quos σάρξ sæpe usurpatur pro corpore humano. Cf. Epict. II. 8, 2: Τίς οὖν οὐσία θεοῦ; Σάρξ; Μὴ γένοιτο; I. 3, 5: Τὰ δύστηνά μου σαρκίδια; I. 29, 6: (ἀπειλεῖς) ὅλῳ τῷ σαρκιδίῳ. Stoicorum exemplo *carnem* pro *corpore* usurpant etiam Romani scriptores, ut Varro (Sat. Men. Rel. p. 102. ed Riese): «Sed quidvis potius homo, quam *caruncula* nostra» et Senec. Ep. 65, 22: «Nunquam me *caro* ista compellet ad metum... nunquam in honorem huius *corpusculi* mentiar».

V. 64—67. *Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo Et*

Calabrum coxit vitiato murice vellus, luxuriæ exempla, ut apud. Verg. Ge. II. 465—466:

> Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
> Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.

— *Hæc,* pulpa scelerata, quæ luxuria gaudet. — *corrupto casiam dissolvit olivo,* casia oleo immixta unguentum facit suave olens. — *corrupto . . . olivo,* quia homines antiquæ simplicitatis nativum olei odorem casia corrumpi querebantur exemplo Spartanorum, de quibus Athen. XV. p. 686. F: Οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξελαύνουσι τῆς Σπάρτης τοὺς τὰ μύρα κατασκευάζοντας ὡς διαφθείροντας τοὔλαιον καὶ τοὺς τὰ ἔρια δὲ βάπτοντας ὡς ἀφανίζοντας τὴν λευκότητα τῶν ἐρίων. — *Et Calabrum coxit vitiato murice vellus,* ex lana murice infecta conficiebantur vestes purpureæ. — *Calabrum . . . vellus,* genus lanæ eximium; cf. Colum. VII. 2: «Generis eximii Milesias, *Calabras* Apulasque (lanas) nostri existimabant eorumque optimas Tarentinas». — *vitiato murice,* quia etiam murex, cum lanam tingit, quasi corrumpitur, aliquid ex nativo colore amittit. Cf. Verg. Aen. XII. 67—68: «Indum sanguineo veluti *violaverit* ostro Si quis ebur». — *bacam conchæ,* margarita in conchis unionum nata, ut apud Hor. Sat. II. 3, 241: «aceto Diluit insignem bacam». — *rasisse,* lima deradere de concha; cf. quæ Plin. N. H. IX. 109. de margaritis dicit: «Crassescunt etiam in senecta conchisque adhærescunt nec his avelli queunt, nisi lima». De inf. perf. pro inf. præs. vide adnotationem ad I. 42. — *stringere venas Ferventis massæ crudo de pulvere iussit,* agitur de auro, de quo Plin. N. H. XXXIII. 69: «Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur». *Crudus pulvis* est igitur lapis contusus, ubi auri particulæ iunctæ sunt cum aliis, quæ sunt segreganda; hic pulvis uritur, ut

exsolvantur venæ ferventis massæ i. e. auri. — *stringere vénas,* exprimere venas auri e pulvere. — *Ferventis massæ, massa* dicitur de metallis, quæ igne solvuntur; cf. V. 10—11: «Tu neque anhelanti, coquitur dum *massa* camino, Folle premis ventos». — *crudo de pulvere,* recte scholia: «bene crudum pulverem dicit, quia coquitur, ut metallum fiat».

V. 68—70. *Peccat et hæc, peccat, vitio tamen utitur,* pulpa scelerata peccat etiam in eo, quod unguenta, vestes purpureas aliaque luxuriæ instrumenta sibi conquirit, vitio suo tamen fruitur; nam corpori humano iucunda est luxuria. At, cum aurum diis offert, non solum vitiose, sed etiam stulte facit: diis enim nullus est auri usus. — *Peccat et hæc,* hoc loco *pulpa* est subiectum, *hæc* autem obiectum sententiæ; *peccare* enim cum accus. neutr. sæpe occurrit apud scriptores optimos: pulpa etiam hæc vitiose facit, etiam in his peccat. — *vitio tamen utitur,* fruitur, fructum aliquem vitii percipit; cf. VI. 22: «Utar ego, utar». — *At vos... pontifices,* poeta pontifices compellat, penes quos erat omnium sacrorum cura et a quibus ceteri sacerdotes pendebant. — *in sancto,* in re diis oblata; quidquid enim diis offertur, sanctum vocatur; cf. Tib. IV. 6, 1: «Natalis Juno, sanctos cape turis acervos», Verg. Aen. III. 406: «ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat.» — *quid facit,* quid prodest; cf. Quint. Inst. Or. VI. 4, 8: «plurimum facit diligenter nosse causas»; Senec. Ep. 36, 8: «Adversus omnia tela, adversus omnium hostium genus facit mortem contemnere». — *Nempe hoc,* supple: facit. — *Nempe,* certe, scilicet. — *Veneri donatæ a virgine pupæ,* recte scholia: «Diis tam sunt opes supervacuæ, quam Veneri pupæ, quas virgines nubentes donant. Solebant enim virgines, antequam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare.

Hoc et Varro scribit». Cf. Anth. Pal. VI. 280., ubi Timareta quædam nuptura Dianæ donat ea, quibus parva puella luserat:

Τιμαρέτα πρὸ γάμοιο τὰ τύμπανα τήν τ' ἐρατεινήν
Σφαῖραν τόν τε κόμας ῥύτορα κεκρύφαλον
Τάς τε κόρας, Λιμνᾶτι, κόρᾳ κόρα, ὡς ἐπιεικές,
Ἄνθετο καὶ τὰ κορᾶν ἐνδόματ' Ἀρτέμιδι.

— *pupæ*, Græce κόρη, Hungarice *baba*, Germanice *Puppe*; solebant enim iam apud antiquos parvæ puellæ pupis ludere.

Finis (v. 71—75.) *Non sunt divitiæ, quæ diis placent, sed exoptatissimum, quod iis offeras, est animus æquus, sanctus et honestate imbutus.*

V. 71—72. *Quin damus id superis, quin* in interrogatione: *cur non*, ut IV. 14: «Quin tu igitur» etc. — *de magna ... lance*, agitur de lance in sacrificiis usitata, quæ *magna* vocatur, quia homines divites solebant magnis lancibus uti. Cf. Ov. Ex Pont. IV. 8, 39—40:

Nec quæ de parva dis pauper libat acerra
Tura minus, *grandi* quam data *lance* valent.

— *magni Messalæ*, Marcus Valerius Messala Corvinus, a. 723. a. u. c. consul, qui erat imperante Augusto inter principes reipublicæ, vir eloquentiæ fama et bellica gloria pariter insignis, poetarum fautor generosissimus. — *lippa propago*, Messalæ filius alter erat L. Aurelius Cotta Messalinus, a matris fratre L. Aurelio Cotta adoptatus, qui a patre degeneravit. Tacitus scribit de eo Ann. VI. 7: «nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis». Eum igitur *lippum* vocat Persius, quia antiqui credebant lippitudinem ex intemperantia potissimum oriri; cf. I. 79: «patres infundere lippos», V. 77: «vappa lippus» et scholia: «Cot-

tam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebræ eius in exteriorem partem verterentur».

73—75. *Compositum ius fasque animo,* scientia humani divinique iuris ex philosophia morali petita et in animo recondita et coacervata (composita), quasi thesaurus animi. Cf. Verg. Aen. VIII. 317: «*componere* opes», Tib. I. 1, 77—78: «ego *composito* securus acervo Despiciam dites despiciamque famen» et sensu translato, ut hoc loco, apud Hor. Ep. I. 1, 11—12:

> Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum;
> Condo et *compono,* quæ mox depromere possim,

ubi Kiessling rectissime adnotat: «*condo et compono,* vom Bergen gesammelten Vorraths». — *ius fasque,* ius ad officia inter homines, fas vero ad pietatem erga deos refertur. Bonus homo est, qui et diis et hominibus satisfacit. — *sanctosque recessus Mentis,* dii adeundi sunt mente adeo pura, ut etiam occultissimæ nostræ cogitationes sanctæ sint; deos enim ne eæ quidem fallunt. *Recessus mentis,* ut apud Cic. pro Marc. 7, 22: «Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint et tanti *recessus,* augeamus sane suspicionem tuam»; Plin. Ep. III. 3, 6: «Vita hominum altos *recessus* magnasque latebras habet». — *incoctum generoso pectus honesto,* animus honestate generosa penitus imbutus. *Incoctum* sensu translato; proprie usurpatur de lana, quæ colore inficitur, ut Verg. Ge. III. 307: «Vellera mutentur Tyrios *incocta* rubores» et supra vs. 65: «Hæc Calabrum *coxit* vitiato murice vellus». Similiter appellat Marcus Aurelius (III. 4.) sapientem δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος. — *generoso ... honesto, honestum* pro substantivo usurpatum et epitheto ornatum, ut Lucan II. 389: «rigidi servator honesti». Cf. etiam adnotationem ad I. 107: «mordaci...

vero». — *honesto,* terminus technicus philosophiæ moralis, Græce τὸ καλόν, Hungarice *az erkölcsi jó,* Germanice *das Sittlichgute;* Stoicorum sententia summum bonum. Definitionem eius vide apud Cic. De fin. II. 14: «Honestum id intellegimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusve per se ipsum possit iure laudari». — *Hæc,* sc. virtutes animi vss. 73—74. enumeratas. — *cedo ut admoveam,* da, ut admovere possim; cf. Plaut. Curt. 654: «cedo ut inspiciam», Most. 373: «cedo ut bibam». — *admoveam,* vox in sacrificiis sollemnis; cf. Verg. Aen. XII. 171: «admovitque pecus flagrantibus aris»; Tib. III. 5, 11: «Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes»; Lucan. I. 608—609: «tunc admovet aris Electa cervice marem.» — *farre litabo,* farre tosto sacrificare erat simplicissimum sacrificandi genus; cf. Plin. N. H. XVIII. 7: «Numa istituit deos fruge colere et mola salsa supplicare atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset, id uno modo consecutus, statuendo non esse purum ad rem divinam nisi tostum». Imitatur Hor. Carm. III. 22, 17—20:

> Immunis aram si tetigit manus,
> Non sumptuosa blandior hostia
> Mollivit aversos Penates
> *Farre* pio et saliente mica.

Cf. etiam Senec. Benef. I. 6, 3: «Boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt». — *litabo,* litare, ut Græce καλλιερεῖν, significat bonis auspiciis et diis faventibus sacrificare. Sententia est igitur huiusmodi: si pia et recta voluntate sacrificavero, etiam vilissimo sacrificio deos propitios habebo.

Idem, quod hæc satira, argumentum tractat Alcibiades II., qui inter Platonicos dialogos servatus est videturque Persius eum ante oculos habuisse. Persii exemplo de eadem re scripsit Juvenalis Satiram X.

SATIRA III.

Philosophiam impune neglegi non posse.

Exordium (v. 1—18.) *Iuvenis dives et nobilis, qui studiis litterariis operam dat, quæ tamen neglegit, usque ad meridiem edormit hesternam crapulam, unde eum indignabundus suscitat magister, philosophus quidam. Tandem ad studia se componit, sed, ut propriam ignaviam dissimulet, calamos et atramentum ut inutilia culpat.*

V. 1—2. *Nempe hæc adsidue*, supple: fiunt; tu semper usque ad medium diem dormis. Vss. 1—6. sunt verba philosophi cuiusdam, qui iuvenem divitem, quem docere vult, dormientem invenit hora quinta; quod cum sæpe iam observaverit, amplius se tenere nequit et desidiosum obiurgat. Cf. Gell. N. A. VI. 10: «Nunc videre est philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores iuvenum divitum eosque ibi sedere atque opperiri prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant». Scholiasta ad hunc versum adnotat: «Hanc satiram poeta ex Lucilii libro quarto transtulit castigans luxuriam et vitia divitum». Sed fragmenta ex hoc libro servata, quamquam ex parte in tali argumento versantur, non ita comparata sunt, ut illam Persii imitationem comprobent, præsertim cum ad ipsam philosophiam, cuius studium proprium nostræ satiræ argumentum est, non pertineant. Quare rectissime dicit Luc. Mueller (p. 207. ed. Lucil.): «Vix est quod moneam, scholio Persii . . . minime effici totam satiram istam ad Lucilii IV.

exemplar esse compositam, a quo tantum differre, quantum interest inter Persium et Lucilium, facile agnoscent periti». — *Nempe,* initio orationis, ut Hor. Sat. I. 10, 1: «Nempe incompositos dixi pede currere versus Lucili», ubi Kiessling recte adnotat: «*nempe* führt den Leser mitten in eine lebhafte Erörterung hinein.» — *clarum mane, manc* pro substantivo, ut Verg. Ge. III. 325: «mane novum» et Hor. Sat. I. 3, 17: «ad ipsum mane». Persium imitatur Auson. Ephem. 1: «Mane iam clarum reserat fenestras». — *angustas extendit lumine rimas;* fenestræ tabulis clausæ sunt, sed lux per rimas tabularum infunditur. — *extendit . . . rimas,* lux rimas, per quas infunditur, patentiores apparere facit.

V. 3—4. *Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat,* dormimus tantum temporis, quantum sufficiat vinum Falernum concoquere. Cf. Gell. N. A. VI. 10. supra ad vs. 1. laud. — *Stertimus,* ironice pro *dormimus.* Prima persona plur. pro secunda sing., ut infra vs. 16. *venimus* pro *venisti.* — *indomitum . . . Falernum,* vinum in agro Campaniæ Falerno erat pretiosissimum et acerrimum. Plinius dicit de eo (N. H. XVI. 62.): «Nec ulli nunc vino maior auctoritas». Horatius hoc vinum *ardens* (Carm. II. 11, 19.), *severum* (Carm. I. 27, 9.) et *forte* (Sat. II. 4, 24.) vocat, Persius autem propter nimiam vim *indomitum,* ut Lucan. X. 163: «Indomitum Meroe cogens spumare Falernum». — *despumare* pro: concoquere stomacho, quia liquor, cum coquitur, despumari solet. Cf. Verg. Ge. I. 295—296:

> Aut dulcis musti Vulcano decoquit umorem
> Et foliis undam trepidi *despumat* aeni.

— *quinta dum linea tangitur umbra,* ἐναλλαγὴ ἐπιθέτων pro: dum quinta linea tangitur umbra. Agitur de horologio

solari, unde scholia: «Dum umbra medii stili, qui in horologio est, quintam lineam attigerit. At per hoc: usque ad horam quintam.» — *quinta . . . umbra,* hora quinta, quæ proxima est meridiei, nostra undecima. Summæ desidiæ erat etiam apud Romanos tam diu dormire; cf. Senec. Ep. I. 2: «Turpis, qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit».

V. 5—7. *Insana canicula,* sol æstivus. *Canicula* est stella Sirii, quæ tempore caloris æstivi maximi in cælo apparet. *Insana* idem significat, quod *rabiosa,* epitheton caniculæ aptissimum; cf. Hor. Carm. III. 29, 18:

. . . iam Procyon *furit*
Et stella vesani Leonis . . .;

Ep. I. 10, 16—17:

Leniat et *rabiem* Canis et momenta Leonis,
Cum semel accepit solem furibundus acutum;

Manil. Astr. V. 207—208.

Exoriturque Canis latratque Canicula flammas
Et *rabit* igne suo geminatque incendia solis.

— *siccas . . . messes . . . coquit,* segetes exarescere facit; cf. I. 97: «Ut ramale vetus vegrandi subere *coctum*» et adnotationem ad h. l.; Mart. X. 62, 7: «fervens Iulius *coquit* messem»; Prop. IV. 5, 61:

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino *cocta* iacere Noto.

— *et patula pecus omne sub ulmo est,* tempore meridiano, æstate præsertim, greges umbras quærunt; cf. Hor. Carm. III. 29, 21—23:

Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit et horridi
Dumeta Silvani;

Verg. Ecl. II. 8: «Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant». — *Unus ait comitum,* hoc loco *comes* significat præceptorem, quales plures habebant iuvenes nobiles; cf. V. 32: «Cum blandi comites»; Suet. Tib. 12: «comitis et rectoris eius». Ergo inter comites sive præceptores iuvenis illius desidiosi erat philosophus, qui vss. 1—6. loquens inducitur.

V. 7—9. *Verumne? Itan? Ocius adsit Huc aliquis. Nemon?* verba iuvenis expergiscentis. — *Ocius adsit Huc aliquis,* servos vocat, ut auxilio sint sibi se induenti. — *Nemon?* exclamat iratus, cum servus non statim accurrit. — *turgescit vitrea bilis,* iracundiam significat. — *vitrea bilis,* idem, quod apud Horatium (Sat. II. 3, 141.), quem Persius hoc loco imitatur, *splendida bilis.* Splendida bilis autem est bilis atra; cf. Galen. Π. αἰτ. συμπτ. II. 50: Μέλαινα χολὴ στιλπνοτέρα αὐτοῦ τοῦ αἵματος οὖσα. Sententia antiquorum atra bilis est causa furoris; cf. Plaut. Amph. 727. de insaniente: «atra bili percita est»; Senec. Ep. 95, 17: «Si quis furioso præcepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato, erit ipso, quem monebit, insanior: bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda». Sed ira ipsa, qua iuvenem hoc loco concitari videmus, est genus quoddam furoris; cf. Hor. Ep. I. 2, 62: «ira furor brevis est» et Senec. De ira I. 1: «quidam itaque ex sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam». — «*Findor*», *ut Arcadiæ pecuaria rudere credas,* supple: «Findor», exclamat iuvenis tali voce, ut Arcadiæ asinos rudere credas. — *Findor,* rum-

por ira; exclamatio iuvenis nimia ira abrepti. Hungarice *megpukkadok*, Germanice *es ist zum bersten*. Cf. Plaut. Bacch. II. 3, 17: «Heu cor meum et cerebrum. Nicobule, finditur. Istius hominis ubi fit quæque mentio». Usitatius est tali sensu *rumpor*, ut Hor. Sat. I. 3, 135: «Rumperis et latras»; Senec. ad. Marc. 22, 5: «Non rumperetur supra cineres Cn. Pompei constitui Seianum?» — *Arcadiæ pecuaria*, asini; erant enim asini Arcadici in Græcia optimi. Cf. De re rust. II. 1, 14: «Asini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini». Iuvenem stupidum *Arcadicum* nominat Juv. VII. 159—160: «læva parte mamillæ Nil salit *Arcadico* iuveni.» — *rudere*, proprie usurpatur de voce asini. Primam syllabam, quæ apud alios scriptores correpta est, productam habet Persius et, qui eum sequitur, Auson. Epigr. 76, 3. — *credas*, ita Buecheler ex codice Montepessulano 125; sed Montepessulanus 212. et Vaticanus 36. H. habent: *dicas*.

V. 10—11. *Iam liber* etc., intellege: iam in manus ei liber, membrana, chartæ et harundo venerunt. Iam enim accingit se iuvenis ad scribendum. — *positis bicolor membrana capillis*, agitur de pugillaribus membraneis, in quibus Romani, ut in tabulis ceratis, si quid maiore cum cura scribere volebant, primum hypographum describebant; in membrana enim facillime poterant scripta deleri. Cf. quæ Quintilianus dicit de stili exercitatione Inst. Or. X. 3, 31: «Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda: scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi, nisi forte visus infirmior *membranarum* potius usum exiget»; Mart. XIV. 7. de pugillaribus membraneis: «Delebis, quotiens scripta novare velis». Membrana est *positis* (depositis) *capillis*, quia ea parte, qua pili erant, pumice diligenter levigabatur; *capilli* pro *pilis* membranæ, ut

comæ apud Tibullum (Lygdamum) III. 1, 10: «Pumex et canas tondeat ante *comas*»; eadem *bicolor* vocatur, quia membrana pugillarium altera tantum parte inscribebatur eratque hac parte candida, altera pars autem, unde pili erant derasi, oleo cedrino illita flavo erat colore. Cf. Ov. Trist. III. 1, 13: «Quod neque sum cedro *flavus* nec pumice levis» et Juv. VII. 23—24: «ideo *croceæ* membrana tabellæ Impletur», ubi Friedländer adnotat: «*Tabellæ*, die Blätter der hier zu Entwürfen dienenden pugillares membranei (Mart. XIV. 7.), die, wie Pergamentrollen, nur einseitig beschrieben und auf der Rückseite mit Cedernöl gelb gefärbt wurden». Cf. Marquardt: Privatleben der Römer, ed. 2. p. 820. — *chartæ*, ex papyro Aegyptiaca, in quibus pure describebant hypographum in pugillaribus membraneis primo descriptum. Raro enim accidit, ut scriptores cogitata sua statim chartis mandare auderent; cf. Catulli verba (c. 22, 3—6) de Suffeno poeta:

> Idemque longe plurimos facit versus.
> Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
> Perscripta, nec sic, ut fit, in palimpseston
> Relata: chartæ regiæ, novi libri . . .

et Blassii adnotationem ad hunc locum (Mueller: Handbuch d. kl. Alt. I. p. 337.): «Palimpsestus ist wiederabgescheuerte Membrane, wie man sie für Kladden benutzte; dieser Mann aber machte gleich Reinschriften auf Papyrus». Etiam apud Horatium *membrana* significat primum operis hypographum (Sat. II. 3, 1; A. P. 389), *charta* autem opus pure descriptum (Sat. I. 5, 104; Ep. II. 1, 270.) — *nodosa . . . harundo*, calamus scriptorius ex harundine nodosa factus.

V. 12—14. *Tunc querimur*, iuvenis desidiosus, cum in studiis recte procedere non potest, propriam ignaviam dis-

simulans instrumenta scriptoria incusat. — *querimur* pro *queritur* ironice, ut supra vs. 3. *stertimus* pro *stertis*. — *crassus calamo quod pendeat humor*, iuvenis queritur se scribere non posse, cum atramentum nimis crassum calamo adhæreat. Cf. Hor. Sat. II. 3, 7: «Culpantur frustra calami». — *Nigra sed infusa vanescit sepia lympha*, postquam atramento crasso aqua infusa est, queritur atramentum pallidum esse factum. — *Nigra . . . sepia*, atramentum ex humore sepiæ (Hungarice *tintahal*, Germanice *Tintenfisch*) factum, ut apud Ausonium Epp. IV. 74., VII. 54. Atramento ex fuligine facto utebantur potissimum veteres; sed recte ad h. l. scholia: «Sepia piscis ita nigrum habet sanguinem, ut atramentum inde conficiatur.» — *vanescit*, atramentum ita pallidum fit, ut scriptura quasi evanescat. — *Dilutas querimur geminet quod fistula guttas*, iuvenis queritur atramentum aqua ita dilutum esse, ut calamus iusto maiores guttas destillans chartam commaculet. — *querimur*, ut supra vs. 12. — *fistula*, calamus scriptorius ex fistula harundinis factus; cf. supra vs. 11: *harundo*.

V. 15—18. *O miser* vss. 15—18. sunt verba philosophi, quem poeta vss. 1—6. loquentem induxit. — *inque dies ultra miser*, in dies miserior. *Ultra* pro *magis* cum adiectivo iunctum insolenter. — *hucine rerum Venimus*, eo ignaviæ venisti, ut me tam vanis excusationibus fallere temptes. — *hucine*, ut Cic. Verr. 5, 163: «Hucine omnia reciderunt?»; Sall. Iug. 14, 9: «Hucine, Micipsa pater, beneficia tua evasere?» — *cur non potius teneroque columbo Et similis regum pueris pappare minutum Poscis*, ironice dictum: cur non vis etiam nunc, adulta iam ætate, ut parvæ columbæ et delicati nobilium infantes, cibos edere commanducatos? Nam ita te geris, ut infantem decet parvum. — *teneroque columbo*, parva columba alimentis duris vesci nequit,

sed mater eam alit cibis in ingluvie sua mollitis, quos rostro suo in rostrum eius inserit. — *regum pueris*, delicati divitum et nobilium infantes; de significatione *regum* vide adnotationem ad I. 67. — *pappare minutum*, cibus a nutrice mansus, qualis datur infantibus, qui dentes nondum habent; cf. Lucil. l. XXX. vs. 107—108 (ed. Mueller): «Sperans ætatem in eandem Hæc proferre potesse et *mansum* ex ore daturum»; Cic. De or. II. 39, 162: «qui . . . omnia *minima mansa*, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant». *Pappa* (cibus) est vox parvis pueris propria; cf. Varronis (Cato vel de liberis educandis) fragmentum apud Non. 81, 4: «Cum cibum ac potionem *buas* ac *pappas* docent et matrem *mammam*, patrem *tatam*», unde verbum *pappare* pro edere, ut apud Plaut. Epid. 727: «Novo liberto opus est quod *pappet*». Hoc loco infinitivus *pappare* pro substantivo ponitur; cf. adnotationem ad I. 9: «vivere triste». — *iratus mammæ lallare recusas*, cum nutrix cantilena sua te sopire vult, tu iratus dormire non vis. — *mammæ*, cum agatur de *regum pueris*, non mater, sed nutrix est intellegenda, ut in inscriptione apud Viscont. Mus. Pio-Clem. tom. 2. p. 82. — *lallare*, cantare infantem sopiendi causa; recte scholia: «(Nutrices) infantibus, ut dormiant, sæpe dicere solent: *lalla, lalla*». Cf. Auson. Epp. 16, 90: «Nutricis inter lemmata *Lallique* somniferos modos». Verbum apud Persium occurrit primum, deinde apud imitatorem eius, Hieronymum (Ep. 14, 3.) Infinitivus pro substantivo, ut supra vs. 17: *pappare*. — *lallare recusas*, ut apud Verg. Aen. V. 749: «iussa recusat».

Pars prima (v. 19—43.) *Magister admonet discipulum, ne se ipsum fallat, sed diligenter discat, dum tempus sit discendi. Nam neque eo, quod tantum a maioribus acceperit, ut securus vivere possit, neque, quod ex no-*

bili genere ortus sit, neglegentiam eius excusari. Nolit imitari Nattam, nobilitatem dissoluta vita deturpantem; hunc enim eo excusari, quod omnino non possit bonum a malo discernere. Contra eos, qui sciant, quid virtus sit, neque tamen eam sequantur, gravissima poena affici: peccatorum conscientia torqueri.

V. 19—21. *An tali studeam calamo?* verba iuvenis instrumenta scriptoria incusantis. Cf. Hor. Sat. II. 3, 6—7: «Dic aliquid dignum promissis, incipe; nil est. Culpantur frustra calami». — *studeam,* absolute positum, ut apud Quintilianum et Plinium minorem sæpius, idem significat, quod *discere,* nostrum *tanulni,* Germanice *studiren.* — *Cui verba,* supple: das; quem fallere cupis? Verba philosophi, cui reliqua oratio tota usque ad finem satiræ tribuenda est. — *Quid istas Succinis ambages?* Cur has fallacias murmuras? — *Succinis,* proprio sensu *succinere* dicitur is, qui comitatur aliquem præcinentem; cf. Varr. De re rust. I. 2: «Agricultura succinit pastorali vitæ, quod est inferior, ut tibia sinistra dextræ». Hoc loco: non clara, sed demissa voce aliquid dicere, suppressa voce murmurare, ut illi solent, qui ipsi sibi conscii sunt. — *ambages,* de eo, qui, ut fallat, deverticula quærit, Hungarice *kibúvó,* Germanice *Ausflüchte;* cf. Liv. IX. 11, 12: «Vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere»; Hor. Sat. II. 5, 9: «Quando pauperiem missis ambagibus horres»; Ov. Met. X. 19—20:

> Si licet et falsi positis ambagibus oris
> Vera loqui sinitis . . .

— *Tibi luditur,* recte Casaubonus: «Ad te, non ad me aleæ huius damnum spectat»; tua res agitur, non mea. — *Effluis amens,* non vis discere et præcepta sapientiæ, quæ

auribus tuis infundo, effluunt ex te, ut liquor effluit ex vase vitioso, quod liquorem non potest in se continere. *Effluis* enim referendum est ad sequentem metaphoram (vss. 21—24.), ubi iuvenis comparatur cum vasculo fictili non bene cocto; cf. Terent. Eun. I. 2, 25: «Plenus rimarum sum, huc atque illuc perfluo». *Effluere* dicitur non solum liquor, sed etiam vas, quod liquorem effluere sinit; cf. Petron. 71: «amphoras gypsatis, ne ecfluant vinum». — *Contemnēre,* contemnent te homines, si non didiceris, propter eruditionem imperfectam, ut vas non bene coctum contemnitur ab emptoribus, quia, ut statim legemus, tale vas ab emptore percussum ipso sono prodit vitium suum. *Contemnēre* igitur cum sequentibus ita est iungendum: contemnere, *nam* sonat vitium etc. Cf. Hor. Sat. II. 3, 13—14:

> Invidiam placare paras virtute relicta?
> Contemnere, miser.

V. 21—24. *Sonat vitium,* sono vitium suum prodit; cf. V. 24: «Pulsa dinoscere cautus, Quid *solidum crepet* et pictæ tectoria linguæ», V. 106: «Ne qua subærato *mendosum tinniat* auro»; *sonare* cum accusativo, ut Verg. Aen. I. 328: «nec vox hominem sonat», VI. 50: «mortale sonans»; Cic. pro Arch. 10, 26: «pingue sonantibus»; Ov. A. A. III. 289: «raucum sonare»; Lucr. III. 873: «sincerum sonere». De eadam re similiter Plat. Theæt. p. 179. D: Σκεπτέον τὴν φερομένην ταύτην οὐσίαν διακρούοντα, εἴτε ὑγιὲς εἴτε σαθρὸν φθέγγεται et Phileb. p. 55. C: γενναίως, εἴ πῃ τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περικρούωμεν. De sensu metaphoræ recte scholia: «Quomodo vas non bene coctum non acutum sonum reddit vel tinnitum et prodit vitium suum, ita et homo non bene sapientia politus vitium suum temptatus ostendit». — *percussa,* sc. ab emptore; solent enim emptores

vasa fictilia digito percutere, ut sciant, utrum bene cocta sint an non. Eadem imagine utitur Hor. Sat. I. 3, 34—36: «denique te ipsum *Concute,* numqua tibi vitiorum inseverit olim Natura». Animum humanum cum vase comparat Plat. Protag. p. 334. A. — *maligne Respondet,* malignitas quædam tribuitur vasculo, quia invito venditore prodit emptori vitium suum. — *viridi ... limo,* argilla recens, non bene cocta et quasi cruda; ut apud Colum. VII. 8: «*viridis* caseus» pro *recens.* — *non cocta fidelia,* vas non bene coctum. — *fidelia,* vas fictile cibariis servandis, ut infra vss. 73—74: «multa fidelia putet In locuplete penu». — *Udum et molle lutum es* etc.; sensus similitudinis est: «Adhuc puer es et assidua exercitatione facile potes formari, ut fictilia circumactu rotæ formantur; nunc igitur, dum tempus est, disce; serius enim, cum iam eris, ut vas non bene coctum, non poteris fingi et corrigi». *Udum* est lutum, quia argilla, qua utuntur figuli, aqua adspergitur, ut mollis maneat. Cf. Parall. Flor. Stob. IV. p. 200. M: Διογένης ἔλεγε τὴν τῶν παίδων ἀγωγὴν ἐοικέναι τοῖς τῶν κεραμέων πλάσμασιν· ὡς γὰρ ἐκεῖνοι ἁπαλὸν μὲν τὸν πηλὸν ὄντα ὅπως θέλουσι σχηματίζουσι καὶ ῥυθμίζουσι, ὀπτηθέντα δ' οὐκέτι δύνανται πλάσσειν; Hor. Ep. II. 2, 6—8:

> Verna ministeriis ad nutus aptus erilis,
> Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
> Cuilibet, *argilla* quidvis imitaberis *uda.*

— *nunc nunc,* dum mollis es; dum puer es et facile potes doceri. — *properandus et ... fingendus,* propere fingendus, ut Plaut. Aul. 270: «Vascula intus pure propera atque elue». *Properare* sensu transitivo, ut sæpissime apud scriptores Romanos; cf. Ov. Am. III. 1, 69—70: «teneri properentur amores, Dum vacat» et Ep. ex. Pont. III. 4, 59: «propera-

taque carmina fiunt». — *acri . . . rota,* rota figulorum celeriter se vertente. Cf. Hor. A. P. 21—22:

. . . amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?

V. 24—26. *Sed rure paterno Est tibi far modicum,* excusatio ex mente iuvenis: sed habes agrum paternum et avitum, qui modicum tibi suppeditat frumentum, tantum tamen, quantum ad vivendum sufficiat; cur igitur discas? — *purum et sine labe salinum,* hoc loco *salinum,* ut infra *patella,* supellectilem avitam significat, qualem familiæ veteres et honoratæ habere solent. Cf. Hor. Carm. II. 16, 13—14:

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Salinum autem, quod etiam antiquæ simplicitatis tempore, ut etiam *patella,* ex argento factum esse solebat, præcipue curabatur, ut purum esset; diu enim erant salinum et patella sola domus Romanæ ornamenta et inprimis honori deorum domesticorum inserviebant. Cf. Plin. N. H. XXXVI. 153: «Fabricius, qui bellicosos imperatores plus quam *pateram* et *salinum* habere ex argento vetabat»; Liv. XXVI. 36: «argenti . . . libras pondo, ut *salinum patellamque deorum causa* habere possint»; Catull. 23, 19: «Quod culus tibi purior salillo est». — *cultrixque foci secura patella est,* hoc loco *patella* significat vasculum illud, in quo delibatæ dapes Laribus offerebantur in foco, quare *cultrix foci* vocatur. Cf. Paul. Fest. s. v. (p. 327. ed. Thewrewk): «Patellæ vascula parva picata sacrificiis faciendis apta» et Ov. Fast. II. 633—634:

Et libate dapes, ut, grati pignus honoris,
Nutriat incinctos missa patella Lares.

Hæc patella *secura* est, quia in domo modicis opibus gaudente non est ei timendum, ne dapibus honori deorum domesticorum destinatis deficiatur.

V. 27—30. *Hoc satis?* Nihil est ulterius, quo tendas, præter vitam securam? Altiora non appetis? — *An deceat pulmonem rumpere ventis,* recte scholia: «An oportet te arrogantia inflatum dissilire?» — *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis;* hoc loco *stemma* significat tabulam, ubi imagines maiorum erant depictæ et inter se coniunctæ lineis ordinem familiæ ostendentibus. Stemma autem in atrio proponi solebat. Cf. Suet. Ner. 37: «Obiectum est,.. Cassio Longino iuris consulto ac luminibus orbato, quod in vetere gentili *stemmate* C. Cassii percussoris *imagines* retinuisset»; Plin. N. H. XXXV. 6: «Stemmata vero *lineis* discurrebant ad imagines pictas»; Juv. VIII. 1—3:

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
Maiorum;

Suet. Galb. 2: «Imperator vero etiam stemma in *atrio* proposuerit, quo paternam originem ad Iovem, maternam ad Pasiphaam Minois uxorem referret». — *Stemmate... Tusco,* quia multi procerum Romanorum Etruscæ erant originis, ut Mæcenas (cf. Hor. Carm. III. 29, 1. Sat. I. 6, 1.) et fortasse Persius ipse, natus in Etruria Volaterris. — *ramum millesime ducis* pro: ramum millesimum ducis; mille habes avos. — *ramum,* lineam, qua imagines maiorum erant inter se coniunctæ; cf. Plin. N. H. XXXV. 6. supra laud. Eodem sensu occurrit *virga* apud Juv. VIII. 7—8: «multa contin-

gere *virga* Fumosos equitum cum dictatore magistros». — *millesime,* antiquitatem familiæ significat per auxesin. Vocativus pro nominativo, ut supra I. 123: «Audaci quicumque adflate Cratino». — *Censoremve tuum vel quod trabeate salutas,* vel quod censor tibi cognatus *(tuus)* est vel quod ipse es eques Romanus et censorem in sollemni equitum recognitione trabeatus salutas. Locum ita explicat Buecheler; alii scribunt: *censorem vetulum* ex vetere coniectura, quia, quod in codicibus legitur, *censoremve tuum* et *censoremque tuum* propter sequens *vel* ferendum esse non putant. Censor vetulus est horum sententia imperator Claudius, qui censuram diu intermissam restituit et recognitionem equitum prisco more egit a. p. Chr. n. 48. Cf. Suet. Claud. 16: «Gessit et censuram, intermissam diu post Plancum Paulumque censores; sed hanc quoque inæquabiliter varioque et animo et eventu. Recognitione equitum iuvenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit». Persius erat tunc temporis puer quattuordecim annorum poteratque huius rei propter multa ridicula, quæ Claudius summam in censura diligentiam affectans dixerat et fecerat, bene meminisse. *Vetulum,* epitheton Claudio conveniens; erat enim senex decrepitus. Cf. Suet. Claud. 30: «Ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi... præterea linguæ titubantia caputque cum semper, tum in quantulocunque actu vel maxime tremulum»; Senec. Apocol. V. 2: «Nuntiatur Iovi venisse quendam bonæ staturæ, bene canum. Nescio quid illum minari. Adsidue enim caput movere. Pedem dextrum trahere»; Juv. VI. 620—623. de Claudio:

. . . minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus, si quidem unius præcordia pressit

Ille senis tremulumque caput descendere iussit
In cælum et longa manantia labra saliva,

— *trabeate salutas,* trabea erat sollemnis equitum Romanorum vestitus, quare in recognitione censorem trabeati salutabant. Cf. Stat. Silv. IV. 2, 32: «trabeata agmina» i. e. equites; vide etiam Mommsenii *Staatsrecht* III. 1, 513. De vocativo cf. adnotationem ad vs. 28: «millesime». — *Ad populum phaleras;* populum imperitum decipe phaleris, me non decipies. — *phaleras,* proprie significat dona militaria, quibus pectora militum fortium ab imperatore ornabantur; hoc loco transfertur ad externum hominis ornatum. Cf. Plut. De cup. div. 10: τὰ τοῦ πλούτου φάλαρα. — *ego te intus et in cute novi,* ego scio, quid lateat sub hoc specioso ornatu; scio te externa specie pulchrum, sed introrsum turpem esse. Cf. Hor. Sat. II. 1, 64—65: «Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis», Ep. I. 16, 45: «Introrsum turpem, speciosum pelle decora» et apud Persium IV. 14: «summa nequiquam pelle decorus» et V. 116—117: «fronte politus Astutam vapido servas sub pectore volpem». — *in cute,* comparari potest Græcorum ἐν χρῷ, Lucian. conscr. hist. 24.

V. 31—34. *Discincti,* hominem dissolutum et neglegentem significat, ut apud Hor. Epod. 1, 34: «discinctus ut perdam nepos» et apud Persium ipsum infra IV. 22: «Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ». — *Nattæ?* cognomen gentis celeberrimæ Pinariorum, quare scholia non sine causa videntur affirmare «Nattam fuisse quendam luxuriosum, qui patrimonium suum perdiderit et nobilitatem male vivendo exturpaverit». Intellegendus est fortasse Pinarius Natta, Cremutii Cordi accusator, a Tacito Ann. IV. 34. commemoratus: «Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta,

Seiani clientes». Facete dictum eiusdem legitur apud Senec. Ep. 122. 11. Iam ex eo, quod Tacitus hominem nobili loco natum clientem Seiani appellat, Nattam hunc patrimonium perdidisse et nobilitatem in domo Seiani humilitate exturpavisse facile colligitur. Nam, quod interpretes affirmant, Persium hoc nomen ab Horatio mutuasse, non est verisimile; Natta enim Horatii (Sat. I. 6, 123—124: «unguor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis») non est homo discinctus, sed nimium parcus. — *stupet hic vitio,* vitiis ita obrutus est, ut ne sensum quidem eorum habeat; cf. Ov. Her. VIII. 111: «Sæpe malis stupeo»; Gell. II. 23. 7: «Quantum stupere ac frigere Cæcilius visus est». — *fibris increvit opimum Pingue,* fibræ cordis et iecoris, in quibus antiqui vim sentiendi ponebant, nimia pinguedine obtorpescunt; cf. supra I. 47: «neque enim mihi cornea fibra est» et Evang. Matth. 13, 15: ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου. — *opimum Pingue,* opima pinguedo; *pingue* pro substantivo et epitheto ornatum, ut Verg. Ge. III. 124: «Impendunt curas denso distendere pingui». Cf. etiam adnotationem ad I. 107: «mordaci . . . vero». — *caret culpa,* non potest culpari, quia ne sensum quidem vitiorum habet; sed tu, iuvenis desidiose, cui nota sunt vitia tua neque tamen te corrigis, iure culparis. Cf. Menandr. γνωμ. μονοστ. 430: Ὁ μηδὲν εἰδὼς οὐδὲν ἐξαμαρτάνει. — *alto Demersus summa rursus non bullit in unda,* similitudo a Stoicis sumpta de hominibus vitiis immersis; cf. Catonis minoris verba apud Cic. De fin. III. 14, 48. «Ut enim, qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam, si etiam tum essent in profundo . . . item, qui processit aliquantum ad virtutis habitum, nihilo minus in miseria est, quam ille, qui nihil processit». — *summa . . . non bullit in*

unda, non redit ad superficiem aquæ, ut bulla, quæ in aqua surgere solet.

V. 35—38. *Magne pater divum* etc.; maxima pœna sceleratorum est, si vitia, quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere, si intellegunt, quid rectum sit, neque tamen id possunt sequi. Hæc pœna manet etiam te, desidiose iuvenis, si te non corrigis. — *sævos punire tyrannos,* tyranni, qui etiam immeritos tormentis cruciare solent, maximam pœnam merent. Sunt autem tyranni philosophis, Stoicis præcipue, omnium scelerum exempla. — *dira libido Moverit ingenium,* cum prava cupiditas, quæ homines maxime ad scelera incitat, animos eorum perturbat. Est autem *libido* hoc loco ἐπιθυμία Stoicorum, genus perturbationum animi (τῶν παθῶν), quas maxime fugiendas censuerunt severi Zenonis sectatores. Cf. Ciceronis verba de perturbationibus (τὰ πάθη) animi De fin. III. 10, 35: «Omnesque eæ sunt genere quattuor, partibus plures, ægritudo, formido, *libido,* quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo lætitiam appellare». — *ferventi tincta veneno,* libido dicitur ferventi veneno tincta (imbuta), quia animus ea ita corrumpitur, ut corpus veneno. — *Virtutem videant intabescantque relicta,* quod Plato de une virtute, de prudentia (φρόνησις) dixit, de virtute generatim dicit Persius; cf. Plat. Phædr. p. 250. D: Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθησέων, ᾗ *φρόνησις* οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. — *intabescantque relicta,* intabescant cupiditate virtutis a se relictæ; prava eorum cupiditas (*libido* vs. 36.) puniatur cupiditate inexplebili. *Intabescere* sensu translato. Similiter dicit Ov. Met. II. 780. de Invidia: «Sed videt ingratos *intabescitque* videndo Successus hominum». — *relicta,* ablativus absolutus ellipti-

cus, ut Verg. Aen. IV. 692: «Qæsivit cælo lucem ingemuitque reperta».

V. 39—43. *Anne magis* etc. An maiora tormenta passi sunt ii, quos Phalaris tauro aeneo torrebat inclusos, aut Damocles, quem Dionysius ad cenam invitavit et epulis frui iussit, sed ita, ut gladius ligatus seta ex laquearibus supra cervices eius penderet, quam is, qui sentit vitiis se præcipitem ferri et mala conscientia cruciatur, neque tamen se corrigere potest. — *Siculi . . . iuvenci,* taurus Phalaridis, tyranni Siculi (Agrigentini), ex ære factus, in quo homines includebat et supposito igne torquebat. Cf. Cic. De rep. I. 44; Ov. A. A. I. 653. et Hor. Ep. I. 2, 58: «Invidia Siculi non invenere tyranni Maius tormentum». — *gemuerunt æra,* quia, cum ii, qui in tauro aeneo erant inclusi, gemerent, ipse taurus aeneus videbatur mugire. — *Et magis auratis pendens laquearibus ensis Purpureas subter cervices terruit,* notissima est narratio de Damocle, Dionysii tyranni parasito. Cf. Cic. Tusc. V. 25. et Hor. Carm. III. 1, 17:

> Destrictus ensis cui super impia
> Cervice pendet, non Siculæ dapes
> Dulcem elaborabunt saporem.

— *purpureas . . . cervices,* purpura indutas; Damocles enim expetivit a Dionysio, ut unum diem tyrannum ageret, quare Dionysius eum purpura se induere iussit. Cf. Hor. Carm. I. 35, 12: «purpurei tyranni». — *Imus, Imus præcipites,* verba tyranni, qui vitiis se præcipitem ferri sentit. Cf. Cic. De amic. 24: «Peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit.» — *quam si sibi dicat,* sc. tyrannus. — *intus palleat,* supple obiectum: *id,* quod etc., secreto timeat id. *Pallere* cum accusativo; cf. adnotationem ad I. 124: «Iratum

Eupolidem prægrandi cum sene palles». *Intus pallere* audacter dictum de secreto malæ conscientiæ angore, cum sit pallor externum angoris signum. Cf. Hor. Ep. I. 1, 61: «Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa»; Rhet. ad Her. II. 5, 8: «palluisse, erubuisse, titubasse, quæ signa conscientiæ sunt».

Pars altera (v. 44—76.) *Pueris, si puerilia tractant et seria effugiunt, iure ignoscimus; at iuvenis, qui aliquatenus iam imbutus philosophia est, non debet omissis seriis inania sectari, sed certum vitæ finem quærere. Studiis enim philosophiæ neglectis vitia crescunt et inveterascunt, ut morbus a principio neglectus, cui medicus postmodo non potest mederi. Sola autem philosophia est, quæ docet, quomodo recte vivendum sit.*

V. 44—47. *Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo;* recte scholia: «mihi lippitudinem accersebam, ne Catonis deliberativam recitarem, utrum moreretur an non, aut quibus verbis uti potuit, cum se destinaret interficere. Oculi autem oleo tacti perturbabantur ad tempus, ut turbatis oculis ad scholam non irem.» — *oculos... tangebam... olivo,* leviter ungebam; cf. Ov. A. A. I. 661: «Si lacrimæ... Deficient, uda lumina tange manu.» — *parvus,* puer, ut Hor. Ep. II. 1, 70: «memini plagosum quæ mihi parvo Orbilium dictare». — *Grandia si nollem morituri verba Catonis Discere*; pueri, qui prima rhetorices elementa discebant, elaborabant tales declamationes, *suasorias* appellatas, quarum argumentum sæpe ex historia Romana petebatur. Cf. Tac. Dial. 35: «Duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriæ et controversiæ. Ex his suasoriæ quidem, tamquam plane leviores et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur». Hoc loco agitur de oratione nomine Catonis Uticensis ad mortem parati scribenda. Cf.

Quint. Inst. Or. III. 8, 53. et Juv. I. 16. de declamatione Sullæ dictaturam deponenti et Juv. VII. 161—164. de oratione Hannibali urbem petituro tribuenda. — *Grandia... verba,* magnificum et tumidum dicendi genus, quo tales declamationes conscribi solebant. — *Discere,* quia pueri orationem a se scriptam ediscere et certa die patribus præsentibus declamare solebant, quod non probat Quint. Inst. Or. II. 7, 1: «Ne (discipuli) omnia certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt.» — *non sano multum laudanda magistro,* quæ magister insanus laudaret. Poeta insanum dicit magistrum, qui tale argumentum dat puero tractandum orationemque discipuli ineptam laudat. Scholarum rhetoricarum ineptias castigat etiam Tac. Dial. 35: «At nunc adulescentuli nostri ducuntur in scholas istorum, qui rhetores vocantur... in quibus non facile dixerim, utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferant». — *Quæ pater adductis sudans audiret amicis,* more receptum fuit, ut pueri certa die declamarent; patres autem ad has declamationes audiendas in scholam venerunt cum amicis volueruntque filios quam sæpissime audire. Cf. Quint. Inst. Or. II. 7, 1: «(Patres) ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt» et X. 7, 21: «Obstat huic, quod secundo loco posui, fere turba discipulorum et consuetudo classium certis diebus audiendarum, nonnihil etiam persuasio patrum numerantium potius declamationes, quam æstimantium.» — *sudans,* pater filium declamantem audiens gaudio metuque pariter excitatus sudat. Cf. verba Statii de patre suo Silv. V. 3, 215:

> Qualis eras, Latios quotiens ego carmine patres
> Mulcerem felixque tui spectator adesses

Muneris, heu quali confusus gaudia fletu
Vota piosque metus inter lætumque pudorem.

V. 48—51. *Iure,* meo quodam iure præposui ludos labori discendi; nam a puero nemo exigere potest prudentiam. — *etenim* secundo loco, ut IV. 10, V. 41. — *id summum... erat in voto,* id maxime cupiebam; cf. Hor. Sat. II. 6, 1: «Hoc erat in votis.» — *quid dexter senio ferret,* senio erat in ludo tesserarum felix iactus, ubi quævis tessera sena puncta monstrabat; hic iactus igitur *dexter* (bonus, favens) appellatur. Cf. II. 11: «dextro Hercule» et V. 114: «prætoribus et Iove dextro.» — *ferret,* quid lucri ferret; qui enim senionem iecit, habuit lucrum. — *damnosa canicula,* canicula sive canis erat iactus infelicissimus, ubi quævis tessera singula puncta exhibebat. Hic iactus igitur *damnosus* vocatur, quia damnum affert lusori; cf. Prop. IV. 8, 46:

Me quoque per talos Venerem quærente secundos
Semper *damnosi* subsiluere canes,

et Ov. Ar. Am. II. 205—206: «Seu iacies talos, victam ne poena sequatur, *Damnosi* facito stent tibi sæpe canes» et Ov. Trist. II. 473—474: «Quid valeant tali, quo possis plurima iactu Figere *damnosos* effugiasque canes.» — *quantum Raderet,* quantum deraderet de lucro; quantum damnum afferret. — *angustæ collo non fallier orcæ,* sc. erat in voto; agitur de lusu quodam puerili; recte scholia: «in collum amphoræ ex distanti loco ait nuces mittere, ut manus non erret». Cf. carm. Pseudo-Ovid. de nuce vss. 85—86:

Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur.
In quod missa levi nux cadat una manu.

— *angustæ collo . . . orcæ,* ἐναλλαγὴ ἐπιθέτων pro: angusto collo orcæ; quo angustius enim erat collum, eo maiore arte opus erat in iaciendo. — *fallier,* antiqua infinitivi passivi forma, ut I. 28: «dicier.» — *orcæ,* vas fictile, aptum ad varias res condendas; vide infra vs. 76. — *neu quis callidior,* supple: esset. — *callidior . . . torquere,* callidus cum infinitivo, ut I. 118: «Callidus excusso populum suspendere naso». De usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *buxum,* turbo ex buxo factus, quem pueri flagello agitant; genus lusus puerilis hodie quoque usitatum. Cf. Verg. Aen. VII. 378—383:

> Ceu quondam torto volitans sub verbere *turbo,*
> Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
> Intenti ludo exercent; ille actus habena
> Curvatis fertur spatiis, stupet inscia supra
> Impubesque manus, mirata volubile *buxum;*
> Dant animos plagæ . . .

V. 52—55. *Haud tibi inexpertum,* tu non es puer parvus, sed iuvenis primis philosophiæ elementis iam imbutus; iure igitur culparis, si te non corrigis et inertiæ das corrumpendum. — *inexpertum,* ignotum. — *curvos deprendere mores,* mores curvos (pravos) agnoscere et a moribus rectis (bonis) discernere; eodem sensu dicit Hor. Ep. II. 2, 44: «Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum» et eum sequens ipse Persius IV. 11: «rectum discernis, ubi inter *Curva* subit, vel cum fallit pede regula varo». Idem, quod hoc loco *curvus,* significat *intortus* infra V. 38: «Adposita *intortos* extendit regula mores». — *deprendere,* ut improbi in scelere deprehendi solent. — *Quæque docet sapiens bracatis inlita Medis Porticus,* nota sunt tibi dogmata philosophiæ Stoicæ. — *sapiens . . . porticus,* porticus

sapientium; ut Hor. Sat. II. 3, 35: «sapientem barbam». Cic. De nat. de. II. 18: «eruditus pulvis». Est autem hæc porticus στοὰ ποικίλη Atheniensium, ubi Zeno, Stoicorum princeps, docebat, unde nomen accepit tota eius secta. — *bracatis inlita Medis,* pictura bracatos Medos repræsentante ornata. Στοὰ ποικίλη decorata erat picturis, inter quas eminebat pugna Marathoniaca; cf. Diog. Laert. 7, 5; Pausan. I. 15. Persæ autem pugnantes *bracati* (bracis induti) erant depicti, quia bracæ (ἀναξυρίδες) erant insigne Persarum vestimentum. Cf. Prop. III. 4, 17: «Tela fugacis equi et *bracati* militis arcus.» — *inlita* iocose dictum pro *picta.* — *insomnis,* quia noctes studiis philosophicis consumit. — *detonsa iuventus,* capillos detondebant discipuli Stoicorum, quia omnem elegantiorem habitum, ut parum virilem, contemnebant. Hoc faciebant iam Cynici; cf. Diog. Laert. VI. 2, 31: (Διογένης) ἐν οἴκῳ ἐδίδασκε διακονεῖσθαι λιτῇ τροφῇ χρωμένους καὶ ὕδωρ πίνοντας, ἐν *χρῷ κουρίας* τε καὶ ἀκαλλωπίστους εἰργάζετο καὶ ἀχίτωνας καὶ ἀνυποδήτους καὶ σιωπηλοὺς καὶ καθ' αὑτοὺς βλέποντας ἐν ταῖς ὁδοῖς. Cf. etiam, quæ Horatius (Ep. V. 18, 6—8.) dicit de imitatoribus philosophorum severorum:

> Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
> Quæ se commendat *tonsa cute,* dentibus atris,
> Dum vult libertas dici mera veraque virtus

et Juvenalis de iisdem II. 14—15:

> Rarus sermo illis et magna libido tacendi
> Atque supercilio brevior coma.

— *Invigilat,* noctes studiis consumit. — *siliquis et grandi pasta polenta,* simplicissimis cibis contenta, ut philosophum Stoicum decet. — *siliquis,* exemplum simplicis victus,

ut Hor. Ep. I. 1, 123: «vivat siliquis.» — *grandi . . . polenta,* de simplici victu, ut Attalus apud Senecam (Ep. 110. 18.) dicit: «Habemus aquam, habemus polentam: Iovi ipsi controversiam de felicitate faciamus». *Polenta* ex hordeo facta; cf. Plin. N. H. XVIII. 72: «Antiquissimum in cibis hordeum . . . Polentam quoque Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. *Græci* perfusum aqua hordeum siccant nocte una ac postero die frigunt, dein molis frangunt . . . *Italia* sine perfusione tostum in *subtilem farinam* molit». *Grandis* est igitur polenta Græcorum more confecta, quia, ut Plinius docet, hordeum non *molunt* in subtilem farinam, ut Itali, sed neglegentius *frangunt*, unde maiora in polenta granorum frustula remaneant necesse est. Discipuli autem Stoicorum vescuntur viliore polentæ genere. *Grandis polenta* legitur etiam apud Cat. De agr. 108: «Vinum si voles experiri duraturum sit necne, *polentam grandem* dimidium acetabuli in caliculum novum indito», ubi Keil rectissime adnotat: «Grandis polenta autem dicitur, quæ ex *grandiore farina* facta est». *Grandissimum* eodem sensu occurrit apud Plin. N. H. XVIII. 112: «Alica fit e zea, quam semen appellavimus. Tunditur granum eius in pila lignea, ne lapidis duritia conterat, mobili, ut notum est, pilo vinctorum pœnali opera. Primori inest pyxis ferrea. Excussis inde tunicis iterum iisdem armamentis nudata conciditur medulla. Ita fiunt alicæ tria genera: minumum ac secundarium, *grandissimum* vero aphærema appellant» et ibidem §. 115: «Alica adulterina fit maxume quidem e zea, quæ in Africa degenerat . . . farinario cribro subcernunt. Quæ in eo remansit, exceptitia appellatur et *grandissima* est. Rursus quæ transit, artiore cernitur et secundaria vocatur, item cribraria, quæ simili modo in tertio remansit cribro angustissimo et tantum harenas transmit-

tente». Ceterum Persius etiam hoc loco Horatium imitatus est; *grandem polentam* posuit pro *pane secundo* Horatiano (Ep. II. 1, 123: «vivat siliquis et pane secundo»); est enim panis secundus sive secundarius, ut Plin. N. H. XVIII. 89—90. docet, panis ex grandiore, non subtili farina factus.

V. 56—57. *Et tibi, quæ Samios diduxit littera ramos* etc.; nota est tibi via virtutis. Pythagoras enim Samius vitam humanam cum littera Y comparavit; cf. Serv. ad Verg. Aen. VI. 136: «Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y litteræ; scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Bivium autem Y litteræ a iuventute incipere, quo tempore homines aut vitia i. e. partem sinistram, aut virtutes i. e. partem dextram sequuntur». Cf. infra V. 34—35. de iuventute:

> Cumque iter ambiguum est et vitæ nescius error
> Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

— *Samios diduxit littera ramos,* pro: littera Samia diduxit ramos. Samia autem idem significat, quod Pythagorea, ut apud Ovidium *Samius* (Fast. III. 153—154: «Sive hoc a *Samio* doctus, qui posse renasci Nos putat») pro: Pythagoras. — *Surgentem dextro monstravit limite callem,* viam vitiorum facilem, virtutis autem arduam esse docuit iam Hesiod. Op. 287—292:

> Τὴν μέντοι κακότητα καὶ ἱλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι
> Ῥηϊδίως· λείη μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
> Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
> Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτὴν
> Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
> Ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

quem imitatus est Pythagoras; cf. epigr. Anth. Lat. 1076. (Meyer) de littera Y:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem referre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem
Difficilemque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via læva, sed ultima meta
Præcipitat captos volvitque per ardua saxa.

Recte adnotat Jahn (p. 56. ed. mai.): «Cum Persius dextro limite surgentem callem dicat et ceteri quoque dextrum ramum arduum vocent, antiquior litteræ Y forma cogitanda est Ч». — *Surgentem ... callem,* arduum callem (apud Hesiod. Op. 290: ὀρθιος οἶμος), quia via dextra (via virtutis), ut vidimus, ardua est. Cf. Isid. Or. 15, 16, 10: «Callis est iter pecudum inter montes angustum et tritum.» — *dextro ... limite,* dextra parte.

V. 58—59. *Stertis adhuc;* etiam nunc dormis? interrogat philosophus indignabundus iuvenem desidiosum. *Stertere* pro *dormire,* ut supra vss. 3—4: «Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat.» — *laxumque caput,* ut I. 98: «laxa cervix», quale est eorum, qui crapulam nondum edormierunt. — *compage soluta,* quia ebrietas compagem corporis quasi solvit; cf. Lucan. V. 119—120: «quippe stimulo fluctuque furoris Compages humana labat»; Cic. Senect. 21: «Dum sumus in his inclusi compagibus corporis». — *Oscitat hesternum,* oscitat propter hesternam crapulam; cf. Ciceronis verba apud Quint. Inst. Or. VIII. 3, 66. ex or. p. Gallio: «Videbar videre ... quosdam hesterna ex potatione oscitantes»; Hor. Sat. II. 2, 77—78: «quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque

prægravat». Persium videtur imitari Augustin. ver. rel. 3: «Quid adhuc oscitamus crapulam hesternam?» De verbo intransitivo cum accus. iuncto vide adnotationem ad I. 90: «verum plorabit». — *dissutis ... malis,* diductis maxillis; cf. Ov. Fast. I. 408: «Altera dissuto pectus aperta sinu»; Juv. X. 230—231: «Ipse ad conspectum cenæ diducere rictum Suetus hiat». — *undique* pro: utrimque.

V. 60—62. *Est aliquid, quo tendis,* habes certum vitæ finem? Cf. Hor. Carm. II. 18. 32: «quid ultra tendis?» — *in quod derigis arcum,* eadem similitudine utitur Arist. Eth. Nic. I. 1: ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις τοῦ τέλους μεγάλην ἔχει ῥοπὴν καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος; cf. etiam Senec. De brev. vit. 2, 2: «Quibusdam nihil, quo cursum derigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprendunt». — *An passim sequeris corvos testaque lutoque,* proverbialiter dictum de iis, qui sine certo fine vivunt; cf. proverbium Græcum: τὰ πετόμενα διώκειν et Aesch. Ag. 394: διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν. — *sequeris corvos testaque lutoque,* insequeris corvos arrepto, quidquid in manum venit. Cf. Verg. Aen. XII. 775: «teloque sequi, quem prendere cursu Non poterat»; Ov. Met. VI. 665: «ferro sequi»; Tac. Hist. IV. 29: «pilo sequi.» — *testaque,* testarum fragmentis; cf. Plin. XXXVI. 167: «In Umbria quoque et Venetia albus lapis dentata serra secatur ... Aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas.» — *securus, quo pes ferat,* non curans, quo te pes ferat. Cf. V. 12—14: «Hic ego securus volgi et, quid præparet Auster Infelix pecori, securus». — *quo pes ferat;* cf. Senec. De tranq. 12: «Qui sine proposito vagantur quærentes negotia; qui non, quæ destinaverunt, agunt, sed in quæ incurrerunt.» — *ex tempore vivis,* sine certo consilio, ut tempus fert; cf. Cic. De or. 3, 50: «versus fundere ex

tempore»; Quint. Inst. Or. X. 3, 17: «ex tempore scribunt».

V. 63—65. *Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit, Poscentis videas;* elleborum nigrum *(Helleborus orientalis Willd.)* erat apud antiquos medicamentum hydropicorum; cf. Plin. XXV. 54: «(Elleborum) nigrum medetur paralyticis, insanientibus, hydropicis.» — *cum iam cutis ægra tumebit,* cum morbus iam eo processit, ut corpus aqua intercute tumeat; de hydropicis, ut I. 23: «cute perditus,» III. 95: «surgit tacite tibi lutea pellis.» — *venienti occurrite morbo,* cf. Ov. Rem. am. 91—92:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Hic sensu translato: corrige te, dum tempus est; nam, si desidia penitus te corruperit, perditus eris. — *Et quid opus Cratero magnos promittere montis,* et non est opus medico cuidam celeberrimo ingentem pecuniam pro salute tua polliceri. — *quid opus,* cur opus est. — *Cratero,* cf. Hor. Sat. II. 3, 161: «Non est cardiacus, Craterum dixisse putato» et Porphyrionis adnotationem ad h. l.: «nobilis medicus Augusti temporibus fuit.» Erat medicus etiam Pomponii Attici; cf. Cic. ad Att. XII. 13, 1. — *magnos promittere montis,* proverbialiter dictum de ingentibus promissis; cf. Terent. Phorm. 68: «modo non montes auri pollicens»; Sall. Cat. 23: «maria montesque polliceri cœpit»; Plaut. Aul. 701: «aureos montes»; Juv. XII. 129—130: «montibus aurum Exæquet»; Apul. Apol. 20: «nec montibus auri satiabitur». — V. 66—68. *Discite, o miseri,* hiatus, ut apud Hor. Carm. III. 14, 11—12: «Non virum expertæ, male ominatis Parcite verbis.» — *miseri,* miser est Stoicorum sententia quivis non sapiens. — *et causas cognoscite rerum,* quod phi-

losophia docet; nam, ut Cic. De off. II. 2, 5. ait: «Sapientia . . . est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humarum causarumque, quibus eæ res continentur, scientia». Persius imitatur Vergilium, qui de philosophis dicit Ge. II. 490: «Felix, qui potuit rerum cognoscere causas». — *Quid sumus et quidnam* etc.; sequuntur primariæ philosophiæ moralis quæstiones. Indicativus in quæstione indirecta apud poetas sæpius occurrit; cf. Prop. III. 5, 25—28:

> Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores,
> Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
> Qua *venit* exoriens, qua *deficit*, unde coactis
> Cornibus in plenum menstrua luna *redit*.

— *Quid sumus*, prima in philosophia morali quæstio de natura hominis; cf. Cic. De fin. IV. 10, 25: «Sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oportet esse, servemus. Sumus igitur homines; ex animo constamus et corpore». Sæpissime hanc questionem tractant Stoici; cf. Epict. II. 10, 1: Σκέψαι τίς εἶ; I. 10, 10: ἐπίσκεψαι δὲ καὶ τίς εἶ σύ. — *quidnam victuri gignimur*, qualem vitam victuri; quod vitæ genus sit homini conveniens. Cf. Marc. Aur. VIII. 52: ὁ δὲ μὴ εἰδὼς, πρὸς ὅ τι πέφυκεν, οὐκ οἶδεν, ὅστις ἐστὶν οὐδὲ τί ἐστι κόσμος. — *ordo Quis datus aut metæ qua mollis flexus et unde*, comparatio a ludis circensibus et arte aurigandi ducta. *Ordo* est igitur locus aurigis in carceribus circi sorte datus; locus enim, unde emittebantur equi, diversam præbuit in certamine curruum opportunitatem; cf. Soph. El. 710: Στάντες δ' ἵν' αὐτοὺς οἱ τεταγμένοι βραβεῖς κλήροις ἔπηλαν καὶ κατέστησαν δίφρους. Summopere autem cavendum erat aurigis, cum brevissimo gyro circa metam flectebant equos, ne currus metæ aut cur-

ribus aliorum illideretur. *Metæ mollis flexus* est igitur facillima ratio equos circa metam flectendi (cf. Stat. Theb. VI. 440: «metam flectere» et Sil. It. IV. 489: «molles aditus»); aurigæ enim scire debeant, *qua* (i. e. quo loco) currus circa metam agendus et, ut sine periculo circumageretur, *unde* (ex quo loco) certo curvamine flectendus esset. Sed hoc loco agitur de curriculo vitæ; sensus igitur comparationis optime potest Ciceronis verbis exprimi: disce, quomodo possis a carcere usque ad metam «recte et honeste curriculum vivendi a natura datum conficere». Cf. similes comparationes apud Varr. Sat. Menip. 288: «Nemini fortuna currum e carcere intimo missum labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sivit»; Cic. Cæl. 31: «In hoc flexu quasi ætatis hæsit ad metas»; Ov. Trist I. 9, 1: «Detur inoffenso vitæ tibi tangere metam» et Trist. IV. 8, 35—36: «Nec procul a metis, quas pæne tenere videbar, Curriculo gravis est facta ruina meo».

V. 69—72. *Quis modus argento,* sciendum, quis sit modus pecuniæ quærendæ, ne avari et rapaces simus; cf. Lucil. fr. inc. vs. 6. (ed. Mueller); «Virtus quærendæ finem re scire modumque». — *quid fas optare,* de hac quæstione agit satira II. et Juv. X. 346—348:

> Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
> Permittes ipsis expendere numinibus, quid
> Conveniat nobis rebusque sit utile nostris,

et vss. 354—356:

> Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
> Exta et candiduli divina tomacula porci,
> Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

— *quid asper Utile nummus habet,* quem usum præbeat

pecunia. Non est enim pecunia, ut nimium parci faciunt, in arca servanda, sed prudenter in usum nostrum convertenda. Cf. Horatii verba (Sat. I. 1, 70—75) de avaro:

> . . . congestis undique saccis
> Indormis inhians et tamquam parcere sacris
> Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
> Nescis, quo valeat nummus, quem præbeat usum?
> Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
> Quis humana sibi doleat natura negatis.

— *asper . . . nummus*, pecunia nova et proba, nondum trita, iustum pondus habens. Cf. Suet. Ner. 44: «Exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam»; Senec. Ep. 19, 9: «Nec voles, quod debeo, nisi in aspero ac probo accipere.» — *patriæ carisque propinquis Quantum elargiri deceat*, cf. Lucil. fr. inc. vss. 12—13. (ed. Mueller):

> Commoda præterea patriai prima putare,
> Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra;

Plat. Epist. IX. p. 158. A: Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι; Cic. De fin. II. 14, 45: «(Homo), ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit. sed patriæ, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur»; Epict. II. 17, 31: εἰδέναι τί μοι πρὸς θεούς ἐστι καθῆκον, τί πρὸς γονεῖς, τί πρὸς ἀδελφούς, τί πρὸς πατρίδα, τί πρὸς ξένους; Hor. Sat. II. 2, 104—105: «cur, improbe, caræ Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?» — *carisque propinquis*, ut Hor. Sat. I. 1, 83: «reddat gnatis carisque propinquis.» — *elargiri*, vocabulum rarum; præter hunc locum occurrit apud Firm. Matern. Math. 3, 10. — *deceat*,

variatio indicativi et coniunctivi, ut infra vs. 73: «quod multa fidelia *putet*» et 76: «quod prima nondum *defecerit* orca.» — *quem te deus esse Iussit et humana qua parte locatus es in re*, quem te in communi generis humani republica esse deus iusserit et quam stationem (i. e. quod officium) tibi in ea dederit. Scire enim nos oportet non solum, quid patriæ et propinquis, sed etiam, quid toti generi humano debeamus. Cf. Cic. De fin. V. 23, 65: «In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum et quasi quædam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani, quæ nata a primo ortu, quod a procreatoribus nati diliguntur et tota domus coniugio et stirpe coniungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus et iis, qui publice socii et amici sunt, denique totius complexu gentis humanæ»; ibid. III. 19, 62: «Pertinere autem ad rem arbitrantur (Stoici) intellegi natura fieri, ut liberi a parentibus amentur; a quo initio profectam communem humani generis societatem persequimur». Stoici enim affirmabant totum mundum esse rempublicam quandam magnam et omnes homines esse huius reipublicæ cives (huc pertinet: *quem te deus esse Iussit)*, unde colligebant communem utilitatem semper anteponendam esse privatæ (huc pertinet: *qua parte locatus es* i. e. qua in statione sis positus, quid sit officium tuum). Cf. Epict. II. 5, 26: Τί γάρ ἐστιν ἄνθρωπος; Μέρος πόλεως πρῶτον μὲν τῆς ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, μέτα ταῦτα δὲ τῆς ὡς ἔγγιστα λεγομένης, ἥτις ἐστὶ μικρὸν τῆς ὅλης μίμημα; Cic. De fin. III. 19, 64: «Mundum autem censent regi numine deorum eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum et unumquemque nostrum eius mundi esse partem; ex quo illud natura consequi, ut commu-

nem utilitatem nostræ anteponamus»; ibid. IV. 3, 7: «Mundum hunc omnem oppidum esse nostrum.» — *deus*, deus Stoicorum, summus mundi rector; cf. Cic. De fin. IV. 5. 11: «Quid sit summi rectoris ac domini numen, quod consilium, quæ voluntas: cuius ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur.» — *humana . . . in re*, ut res Romana rempublicam Romanam, ita hoc loco res humana rempublicam totius generis humani significat. — *qua parte locatus es*, supple: a deo; quo loco, quasi in statione, positus sis a deo in republica humana, quid sit officium tuum in ea. Etiam hoc loco Stoicos sequitur poeta; cf. Epict. I. 9, 16: ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην τὴν χώραν, εἰς ἣν ἔκεινος (sc. ὁ θεός) ὑμᾶς ἔταξεν; Marc. Aur. XI. 13: οὐ δέχῃ τὸ νῦν τῇ τῶν ὅλων φύσει εὔκαιρον, ἄνθρωπος τεταγμένος πρὸς τὸ γενέσθαι δι' ὅτου δὴ τὸ κοινῇ συμφέρον.

V. 73—76. *Disce, nec invideas* etc.; disce philosophiam neque aliorum divitias invideas; philosophia enim, præsertim Stoica, docet divitias non esse in bonis animumque perturbationibus (τὰ πάθη), quibus etiam invidia adnumeranda est, liberat. Cf. Hor. Ep. I. 2, 34—37: «et ni Posces ante diem librum cum lumine, si non Intendes animum studiis et rebus honestis, *Invidia* vel amore vigil torquebere.» — *multa fidelia*, cf. adnotationem supra ad vs. 22. — *putet*, quia cibaria in fideliis propter magnam copiam consumi non possunt et iam putrescere incipiunt; cf. Hor. Sat. II. 4, 65—66:

> Quod pingui miscere mero muriaque decebit
> Non alia, quam qua Byzantia *putuit* orca.

— *in locuplete penu defensis pinguibus Umbris*, in cella penaria causidici cuiusdam, qui a clientibus multa dona accipere solet. — *defensis . . . Umbris*, quos causidicus in

iudicio defendit, quorum causas agit. — *pinguibus Umbris*, inter Umbros Etruscosque multos fuisse pingues docemur Catull. 39, 10—11:

> Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs
> Aut *fartus* Umber aut obesus Etruscus.

— *Et piper et pernæ, Marsi monumenta clientis*, post *piper et pernæ* supple *putent* ex vs. 73. Marsi, veteris simplicitatis tenaces, simplicissima dona patrono dabant; cf. Juv. III. 168—169:

> Fictilibus cenare pudet, quod turpe negabis
> Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam;

ibid. XIV. 179—180:

> Vivite contenti casulis et collibus istis,
> O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim.

Piper est igitur hoc loco piper vile Italicum, non Indicum; cf. Plin. N. H. XII. 29: «Piperis arborem iam et Italia habet maiorem myrto nec absimilem. Amaritudo grano eadem, quæ piperi musteo (Indico) credatur esse. Sed deest tosta illa maturitas ideoque et rugarum colorisque similitudo». *Perna* suis erat simplex cibus rusticorum; cf. quæ Ofellus, homo rusticus et parcus, dicit apud Hor. Sat. II. 2, 116—117:

> Non ego . . . temere edi luce profesta
> Quicquam præter olus fumoso cum pede pernæ.

De cibariis a clientibus causidico donatis cf. Juv. VII. 119—121:

> Quid vocis pretium? Siccus petasunculus et vas
> Pelamydum aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi,
> Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagœnæ.

— *monumenta,* iocose dictum pro: *dona,* quæ cliens patrono quasi monumenti causa dedit. Cf. Cic. pro Rosc. 146: «Tibi omnia sua præter animam tradidit nec sibi quicquam paternum ne monumenti quidem causa reservavit». — *Mænaque quod prima nondum defecerit orca,* et quod piscis salsus in tanta cibariorum copia ne in prima quidem orca (habet enim causidicus plures orcas tales) defecerit. Causidicus igitur diu integras servat orcas plenas sibi donatas. — *Mænaque,* piscis marinus parvi æstimatus; recte scholia: «Salsamenti genus ex pisce minuto». Cf. Cic. De fin. II. 28, 91: «Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere se acipenserem mænæ non anteponere.» — *orca,* cf. adnotationem supra ad vs. 50. De orca muriam (ut hoc loco salsamenta) continente cf. Hor. Sat. II. 4, 65—66: «muriaque . . . Non alia, quam qua Byzantia putuit orca».

Pars tertia (v. 77—87.) *Præcepta philosophiæ derident ii, qui omnem animi culturam respuunt, ut centuriones hircosi. Tales homines, cum nil melius atque altius cognoscere possint, contenti sunt inscitia sua.*

V. 77—80. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum,* de centurionibus ab omni liberali doctrina alienis et philosophiæ Græcæ contemptoribus cf. infra V. 189—191:

> Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
> Continuo crassum ridet Pulfennius ingens
> Et centum Græcos curto centusse licetur.

— *hircosa,* hircum olens; hircus enim vocabatur malus alarum odor, qualem homines sordidi et corporis cultum neglegentes habere solent. Cf. Hor. Sat. I. 2, 27: «Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum»; Senec. apud Gell. XII. 2, 11: «Ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere»; Hor. Epod. 12, 5: «gravis hirsutis cu-

bat hircus in alis»; Ov. A. A. I. 522: «Nec lædat naris virque paterque gregis». Neglegentiorem corporis cultum militem decere credebant centuriones; cf. Juv. XIV. 194—195., ubi pater filium militiæ operam daturum ita alloquitur:

> Sed caput intactum buxo naresque pilosas
> Adnotet et grandes miretur Lælius alas.

Cf. etiam apud Persium I. 127—128: «qui in crepidas Graiorum ludere gestit Sordidus». — *Quod sapio, satis est mihi,* sapientia mea satis est mihi, non egeo sapientia Græcorum. Vss. 78—85. sunt verba centurionis. — *non ego curo Esse,* nolo esse; cf. Cic. Flacc. 64: «Qui res istas scire curavit»; Hor. Ep. II. 2, 181—182:

> Argentum, vestis Gætulo murice tinctas
> Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.

— *Arcesilas . . . Solones,* duo nomina, quæ centurio fortuito audivit. *Arcesilas* philosophus celeberrimus, Academiæ mediæ auctor, vixit a. 315—241. a. Chr. n. *Solon,* unus ex septem sapientibus Græciæ, legislator Atheniensium. — *ærumnosique,* quia philosophi in assidua cogitatione defixi imperitis tristes et curis onerati esse videntur. Cf. Cic. Tusc. III. 28: «Miseros, afflictos, ærumnosos, calamitosos», Verr. II. 5, 62: «ærumnosus et infelix.» — *obstipo capite,* hoc loco: capite deorsum declinato, ut apud Hor. Sat. II. 5, 91—92: «Davus sis comicus atque Stes capite obstipo multum similis metuenti», ubi Porphyrio adnotat *obstipum* idem esse, quod *inclinatum.* — *figentes lumine terram,* oculos in terra figentes, ut homines in cogitatione defixi facere solent. Usitatum est: oculos in aliqua re figere, ut Ov. Met. XIII. 541: «figit lumina terra», Trist. IV. 2, 29: «qui nunc in humo lumen miserabile

pallore virorum doctorum vide adnotationem ad I. 26; de *pallere* cum accusativo adnotationem ad I. 124. — *Cur quis non prandeat, hoc est?* Qui cogitatione absumpti sunt, etiam non prandere sunt parati, ne pleno ventre in meditando impediantur, quod centurio non potest intellegere. Videtur Persius ante oculos habuisse Hor. Sat. II. 2. 1—7:

> Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo
> (Nec meus hic sermo est, sed quæ præcepit Ofellus
> Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva)
> Discite, non inter lancis mensasque nitentis,
> Cum stupet insanis acies fulgoribus et cum
> Adclinis falsis animus meliora recusat,
> Verum hic *impransi* mecum disquirite,

et Hor. Sat. II. 3. 255—257. de Xenocrate philosopho:

> . . . potus ut ille
> Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
> Postquam est *impransi* correptus voce *magistri*.

Cf. etiam Plaut. Amph. I. 1, 98: «Hoc adeo, hoc commemini magis, quia illo die *impransus* fui». — *His populus ridet,* talibus dictis populus arridet; *ridere* cum dativo pro *arridere* insolenter. — *populus,* populus imperitus, ab omni liberali doctrina alienus. — *multumque torosa iuventus,* iuvenes valde robusti; milites, qui toris et lacertis gaudent, sed animi cultum præ corpore neglegunt. — *multumque,* pro: valde, ut I. 132: «multum gaudere paratus»; Hor. Sat. II. 3, 147: «medicus multum celer atque fidelis»; Juv. X. 3: «vera bona atque illis multum diversa». — *Ingeminat . . . cachinnos,* iterum atque iterum ridet. — *tremulos . . . cachinnos,* quia tantopere rident, ut toto cor-

pore tremant. *Tremulus* enim sæpe id significat, quod tremere facit; cf. Cic. Arat. 68: «Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus» et Prop. I. 5, 15: «tremulus horror.» — *naso crispante,* quia ridenti nasus corrugatur; cf. V. 91: «rugosaque sanna». *Crispare* hoc loco significat rugosum fieri, corrugari; cf. Plin. N. H. XVI. 70: «In primis vero materies honorata buxo est raro crispanti».

Pars quarta (v. 88—106.) *Sed philosophia impune neglegi non potest. Quis enim exitus manet eum, qui ægrotus est neque tamen morbo iustam medelam adhibere propter intemperantiam potest? Morbus initio levis fit in dies gravior et mors eum tandem inter ipsas delicias abripit,*

V. 88—89. *Inspice* etc., vss. 88—89. sunt verba ægroti cuiusdam medicum consulentis. — *nescio quid,* paulum. — *trepidat mihi pectus,* tremit mihi pectus propter gravem halitum (vide vs. 89.); Hungarice: «zihál a mellem», Germanice: «mir keucht die Brust.» — *ægris Faucibus exsuperat gravis halitus,* ex faucibus ægris non facile escendit halitus. Trepidatio autem pectoris et gravis halitus sunt signa febris instantis; cf. Cels. II. 2. de notis adversæ valetudinis futuræ: «Præter hæc protinus timeri debet... si dolor præcordiorum est aut totius pectoris... si spiritus gravior est... Ex quibus sæpe plura, nunquam non aliqua... febrem antecedunt.» — *exsuperat,* sensu intransitivo, ut Verg. Aen. II. 759: «Exsuperant flammæ.» — *gravis halitus,* qui magna cum contentione emittitur; cf. Cels. II. 2. supra laud. et Ov. Met. VII. 557: «Ora patent auræque graves captantur hiatu.» — *sodes* cum imperativo iunctum, imperativi leniendi causa, ut Ter. Andr. 85: «Dic, sodes, quis heri Chrysidem habuit». Cf. Cic. Orat. 45, 154: «Libenter etiam copulando verba iungebant, ut *sodes* pro: si audes, *sis* pro: si vis».

V. 90—93. *Qui dicit medico*, ægrotus ille, qui ea dixit, quæ vss. 88—89. continentur. — *iussus requiescere*, supple: a medico, quia, ut Cels. III. 2. dicit: «omnium optima (remedia) sunt quies et abstinentia.» — *postquam Tertia compositas vidit nox currere venas*, postquam tertiam noctem sine febri peregit et se convaluisse credidit. Hoc loco admonendi sumus in Italia iam antiquis temporibus creberrimam fuisse febrim illam certis diebus recurrentem, quæ vulgo *malaria* (Hungarice *váltóláz*, Germanice *Wechselfieber*) vocatur; quare illi, qui semel febri temptati sunt, timebant, ne ea certa die recurreret. Aegrotus, de quo hoc loco agitur, qua est levitate, ex eo, quod tertiam noctem sine febri peregit, colligit se non laborare *febri tertiana* et abstinentiam amplius non servat; sed exspectare debebat diem quartam, quia febris potest esse *quartana*. Cf. Cels. III. 5. de hoc febris genere: «Igitur, si semel tantum accessit (febris), deinde desiit . . . ut interior nulla causa metum fecerit, postero die, cum tempus accessionis ita transiit, ut nihil moverit, cibus dari potest. At si ex alto dolor venit et gravitas vel capitis vel præcordiorum secuta est neque apparet, quid corpus confuderit, quamvis unam accessionem secuta integritas est, tamen, quia *tertiana timeri potest, exspectandus est dies tertius*; et ubi accessionis tempus præteriit, cibus dandus est, sed exiguus, quia *quartana quoque timeri potest;* et die quarto demum, si corpus integrum est, eo cum fiducia utendum. Si vero postero tertiove aut quarto die secuta febris est, scire licet morbum esse.» — *compositas . . . currere venas*, venas sedate (sine febri) currere; *compositus* enim hoc loco idem significat, quod: quietus, sedatus, placidus; cf. Senec. Ep. 66, 5: «compositus ac probus vultus»; Tac. Ann. I. 7: «composito vultu.» — *currere* venæ dicuntur pro: *moveri*, insolenter.

Comparari potest Celsi locus (III. 6.), ubi venas *lentas celerioresve* dicit. — *De maiore domo*, e domo amici cuiusdam divitis et nobilis. qui bona vina habet; *maiores* enim sunt proceres. Cf. I. 108: «maiorum ne tibi forte Limina frigescant» et adnotationem ad h. l.; Juv. V. 66: «Maxima quæque domus servis est plena superbis.» — *modice sitiente lagoena*, lagœna non admodum capaci; audacter dictum. *Lagoena* est vas vinarium angusto collo, fictile aut e vitro factum. — *Lenia loturo sibi Surrentina rogavit*, pravus mos erat istius temporis, ut homines ferventissimis balneis uterentur sitis excitandæ causa. Deinde vinum bibebant idque evomebant ante cenam; credebant enim hac ratione appetentiam ciborum augeri. Cf. Athen. XV. 2: οἱ ἀπὸ βαλανείου καθάρσεως ἕνεκα τοῦ στομάχου πίνοντες ἄμυστιν ἀποβλόζουσιν; Plin. N. H. XIV. 13. de heluonibus: «Cautissimos ex iis in balineis coqui videmus exanimesque efferri, iam vero alios lectum exspectare non posse, immo vero nec tunicam, nudosque ibi protinus et anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plena infundere, ut statim vomant rursusque hauriant, idque iterum tertiumque, tamquam ad perdenda vina geniti et tamquam effundi illa non possint, nisi per corpus humanum»; Juv. VI. 419—429. de femina viros imitante:

> Balnea nocte subit, conchas et castra moveri
> Nocte iubet, magno gaudet sudare tumultu,
> Cum lassata gravi ceciderunt bracchia massa,
> Callidus et cristæ digitos impressit aliptes
> Ac summum dominæ femur exclamare coegit.
> Convivæ miseri interea somnoque fameque
> Urgentur. Tandem illa venit rubicundula, totum
> Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna

Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim,
Dum redit et loto terram ferit intestino.

Hoc loco ægrotus, qui summam abstinentiam adhibere debebat, cupiditati temperare nequit: iam, ut heluones facere solent, lavatione, potatione et vomitione vult appetentiam ciborum in se excitare, sed, ut etiam valetudini aliqua ex parte consulere videatur, vinum non ita multum *(modice sitiente lagoena)* et *lene,* ægrotantibus aptum bibit. — *lenia . . . Surrentina,* vina lenia Surrentina; vinum enim Surrentinum ægrotis commendabant medici; cf. Plin. N. H. XIV. 64: «Ad tertiam palmam varie venere Albana urbi vicina, prædulcia ac rara in austero, item Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent, alioqui esse generosum acetum, C. Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam». *Lene* est vinum non austerum, sed vetustate mitigatum, quod aptissimum est ægrotis; cf. Terent. Haut. 458—459: «Quod vini absumpsit, sic hoc, dicens, asperum, Pater, hoc est: aliud *lenius* sodes vide»; Hor. Carm. III. 29, 1—2: «Tyrrhena regum progenies tibi Non ante verso *lene* merum cado . . . Iam dudum apud me est», Ep. I. 15, 8: «Ad mare cum veni, generosum et *lene* requiro.» — *rogavit,* perfectum post præcedens præsens, ut infra vs. 101: «*Excutit* e manibus, dentes *crepuere* retecti». Similis variatio temporum II. 32: «exemit» et 34: «expiat», II. 43: «Adnuere his superos *vetuere* Iovemque *morantur*».

V. 94—97. *Heus, bone, tu palles,* sc. morbo, dicit medicus ægroto post aliquod tempus occurrens; vult enim eum benigne admonere, ut caveat. Aegrotus scilicet, post-

quam se non laborare febri tertiana intellexit. cibo potuque usus est intemperanter, quod ei nocuit. — *bone,* ut Græce ὦ ᾽γαθε; cf. VI. 43: «O bone, num ignoras». — *Nihil est,* respondet ægrotus stomachans. — *Videas tamen istuc, Quidquid id est, surgit tacite tibi lutea pellis,* verba medici, qui signa hydropis instantis in cute ægroti videt. Aegrotus enim, de febri tertiana securus, neglexit quartanam, quod erat multo levius febris genus. Cf. Cic. Ad fam. XVI. 11, 1: «Cum in quartanam conversa vis est morbi... spero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore»; Hippocr. II. 674. ed. Littré: ἀσφαλέστατος . . . καὶ ῥῆιστος . . . ὁ τεταρταῖος; Cels. III. 15: «quartana neminem iugulat». Sed ex quartana neglecta, ut sæpissime, hydrops orta est; cf. Cels. III. 21. de hydrope: «Sæpe vero hoc malum per se incipit, sæpe alteri vetusto morbo, maximeque quartanæ, supervenit» et ibid. paulo inferius: «Asclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, se abstinentia bidui et frictione usum... memoriæ prodidit.» — *istuc,* neutrum pronominis *istic.* — *surgit... pellis,* inflatur aqua intercute. — *tacite,* sensim, ut ipse ægrotus non videatur sentire. — *lutea pellis,* pallidum colorem antiqui sæpe dicunt luteum; cf. Hor. Epod. 10, 16: «pallor luteus»; Tib. I. 8, 52: «Sed nimius luto corpora tingit amor.» — *pellis,* pro cute morbo deformata, ut apud Juvenalem pro cute senectute deformi; cf. X. 190—192:

> Sed quam continuis et quantis longa senectus
> Plena malis. Deformem et tætrum ante omnia vultum
> Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem . . .

— *At tu deterius palles,* ægrotus morosus monitorem benevolum, cui credere non vult, cavillatione inepta aggreditur. — *Ne sis mihi tutor;* non sum pupillus, tutore non egeo; cf.

Hor. Sat. II. 3, 87—88: «sive ego prave Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi». De severitate tutorum et patruorum cf. Manil. V. 452: «Tutorisve supercilium patruive rigorem». — *Iam pridem hunc sepeli,* proverbialiter dictum; cf. Isid. Orig. X. 5, litt. T: «Tutor, qui pupillum tuetur, hoc est, intuetur, de quo in consuetudine vulgari dicitur: Quid me mones? Et tutorem et pædagogum olim obrui» et scholia: «ut dici solet: Quid me mones? Ego iam pridem tutorem meum extuli.» — *tu restas,* sc. mihi sepeliendus; cf. Hor. Sat. I. 9, 28: «Omnes composui. Felices! nunc ego resto». — *Perge,* sc. facere, quidquid voles, inquit medicus. — *tacebo,* non iam amplius te monebo.

V. 98—99. *Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,* perversus mos erat Romanorum, ut statim post cenam ferventissimis balneis uterentur; credebant enim heluones cibos ita facilius citiusque digeri posse. Cf. Hor. Ep. I. 6, 61: «crudi tumidique lavemur» et Kiesslingii adnotationem: «*lavemur,* um sich wieder Appetit zu machen: dazu wurde das warme Bad... unmittelbar nach der Mahlzeit von Schlemmern missbraucht; Caligulas Lebenswandel: πολὺς ἄκρατος καὶ ὀψοφαγία, καὶ ἐπὶ πλήρεσι τοῖς ὄγκοις ἀπλήρωτοι ἐπιθυμίαι, θερμολουσίαι τε ἄκαιροι καὶ ἐμετοὶ καὶ εὐθὺς πάλιν οἰνοφλυγίαι καὶ ἔφεδροι γαστριμαργίαι Phil. leg. ad Caium p. 548. M.» Quod Persius infra vss. 100. sqq. dicit, hunc morem sæpius esse subitæ mortis causam, confirmat Juv. I. 142—144:

> Poena tamen præsens, cum tu deponis amictus
> Turgidus et crudum pavonem in balnea portas;
> Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.

Præsertim autem hydropico ita facere non licet, quia curatio eorum summam abstinentiam desiderat et ipsum bal-

neum iis alienum est. Cf. Cels. III. 21. de hydrope: «Facilius in servis, quam in liberis tollitur: quia, cum desideret famem, sitim, mille alia tædia longamque patientiam, promptius iis succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Ideoque non ignobilis medicus Chysippi discipulus apud Antigonum regem amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum negavit posse sanari» et paulo inferius: «(hydropicis) balneum atque omnis humor alienus est». — *albo ventre,* qualis color hydropicorum esse solet; cf. Hor. Carm. II. 2, 13—16:

> Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
> Nec sitim pellit, nisi causa morbi
> Fugerit venis et aquosus *albo*
> Corpore languor.

— *Gutture sulpureas lente exhalante mefites,* intellegendum de halitu mali odoris, qualis crudorum et ægrotorum esse solet. Cf. Verg. Aen. VII. 84: «sævamque exhalat opaca mefitim». — *sulpureas ... mefites,* cf. Serv. in Verg. Aen. VII. 84: «Mefitis proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulpuratis».

V. 100—102. *Sed tremor inter vina subit calidumque trientem Excutit e manibus,* tremor est signum febris instantis, de quo Cels. III. 3: «Incipiunt fere ab horrore ... ubi totum corpus intremit». Cf. Hor. Ep. I. 16, 22—23: «occultam febrem sub tempus edendi Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis». — *inter vina,* ut I. 30: «inter pocula»; cf. adnotationem ad h. l. Aegrotus igitur post lavationem denuo potare et, ut e vs. 102. elucet, edere cœpit. — *calidumque trientem,* hoc loco *triens* est calix tertiam partem sextarii, quattuor cyathos, capiens; cf. Prop. III. 10, 29: «Cum fuerit multis exacta trientibus hora»;

Mart. X. 49, 1: «amethystini trientes». *Calidus* est triens. quia antiqui libentissime utebantur potionibus calidis; cf. Senec. Ep. 122, 6: «Atqui frequens hoc adulescentium vitium est, qui vires excolunt, ut in ipso pæne balinei limine inter nudos bibant, immo potent, et sudorem, quem moverunt potionibus crebris et ferventibus, subinde destringant». — *dentes crepuere retecti,* dentes crepant propter febrim et reteguntur, quia labra ægroti, ut vs. 102. videbimus, laxa sunt. — *Uncta ... pulmentaria,* cibi ex carne (pulpa) facti et opimi. Cf. IV. 17: «uncta vixisse patella» et VI. 16: «cenare sine uncto»; Plaut. Pseud. 220: «Pulmento utor magis unctiusculo».

V. 103—106. *Hinç tuba, candelæ,* hæc est causa pompæ funebris, i. e. mortis. — *tuba,* in pompa funebri divitum et nobilium apud Romanos frequentissimus erat tubarum cornuumque usus; cf. Hor. Sat. I. 6, 43—44:

> . . . At hic, si plostra ducenta
> Concurrantque foro tria funera magna, sonabit,
> Cornua quod vincatque tubas;

Prop. II. 7, 12: «funesta tristior illa tuba», IV. 11, 9—10:

> Sic mæstæ cecinere tubæ, cum subdita nostrum
> Detraheret lecto fax inimica caput.

— *candelæ,* quia in pompa funebri funales cerei portabantur; cf. Senec. De tranq. 11, 7: «Totiens in vicinia mea conclamatum est, totiens præter limen immaturas exsequias fax cereusque præcepit». — *tandemque,* quia magnum funus longum tempus requirit. Primum enim pompa funebris cum tubis et candelis per urbem in forum ducitur, ubi laudatio sollemnis auditur et post laudationem tandem corpus ex urbe per portam effertur. — *beatulus,* dives; nam ad funus

divitis pertinent *tubæ* et *candelæ* (vs. 103.), *altus lectus* et *crassum amomum* (vs. 104.) De forma deminutiva recte scholia: «Hypocorismos derisum significat». *Beatus* sæpe idem significat, quod dives; cf. Hor. Ep. I. 2, 44—45: «Quæritur argentum puerisque *beata* creandis Uxor», A. P. 422. sqq.: «unctum qui recte ponere possit... mirabor, si sciet inter Noscere mendacem verumque *beatus* amicum»; Prop. II. 9, 33: «Noli divitibus, noli conferre beatis»; Juv. I. 38—39: «in cælum quos evehit optima summi Nunc via processus, vetulæ vesica *beatæ*»; Gran. Licin. 35. p. 37. B: «beatos egentes facere». — *alto Compositus lecto,* ut mortui solent componi in lecto funebri; cf. Ov. Met. IX. 503—504: «peream precor ante toroque Mortua componar.» — *crassisque lutatus amomis,* corpus mortui perungebatur unguentis suave olentibus. Cf. Juv. IV. 108—109: «amomo, Quantum vix redolent tria funera». — *crassis... amomis,* quia in funere hominis divitis amomo non parcitur; cf. Hor. A. P. 375: «crassum unguentum». — *lutatus,* sensu proprio: luto illitus; hoc loco iocose pro: illitus. Cf. Mart. XIV. 50: «Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos». — *In portam rigidas calces extendit,* corpus de foro post laudationem asportatur et effertur ex urbe per portam, ut extra urbem cremaretur; cum autem effertur, pedes eius in portam versi sunt, quia teste Plinio (N. H. VII. 46): «ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri». Mortui semper extra urbem cremabantur et sepeliebantur; cf. legem duodecim tabularum: «Mortuum in urbe ne sepelito». — *at illum,* coniunctio *at* hoc loco non habet sensum adversativum; cf. Prop. IV. 4, 15—16: «Hinc Tarpeia deæ fontem libavit: *at illi* Urgebat medium fictilis urna caput». — *Hesterni... Quirites,* liberti, qui heri ex servis cives Romani facti sunt, testamento mortui manumissi. Cf.

Petron. 42: «Tam bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. Planctus est optime; manu misit aliquot; etiamsi maligne illum ploravit uxor». – – *capite induto,* pilleati, quia pilleus erat libertatis signum, quod manumissi gestabant; cf. V. 82: «Hæc mera libertas, hoc nobis pillea donant»; Plaut. Amph. 462: «Faxit Iuppiter, ut ego hic hodie, raso capite, calvus capiam pilleum». — *subiere,* sc. illum; liberti grati post laudationem lectum funebrem subeunt, ut corpus ex urbe efferant; *subire* cum accusativo, ut Verg. Aen. IV. 599: «subiisse umeris confectum ætate parentem»; Tac. Ann. VI. 28: «subire patrium corpus». Cum dativo iungitur eodem, quo hoc loco, sensu apud Verg. Aen. VI. 222: «pars ingenti subiere feretro». Hoc pio officio alias propinqui fungebantur; cf. Vell. Pat. I. 11. de Metello Macedonico: «Mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quattuor filii».

Pars quinta (v. 107–118.) *Aegroto intemperanti similis est ille, qui corpore quidem sanus est, sed affectibus sive perturbationibus animi, quæ morbi (πάθη) recte dicuntur, laborat neque tamen philosophiæ ope utitur. Ut enim ægrotus, qui medicinam non adhibet, perit corpore, ita stultus, qui philosophiam, solam animi medelam, neglegit, perit animo et iure vocatur insanus.*

V. 107—109. *Tange, miser, venas et pone in pectore dextram,* dicit philosophus iuveni desidioso, quem ita alloquitur, ut medicus ægrotum. — *Tange . . . venas,* ut medicus facere solet, cum ægrotum inspicit; cf. Lucil. XXVI. vs. 12. (ed. Mueller): «Nunquam priusquam venas hominis tetigit ac præcordia»; Senec. Ep. 22, 11: «Non potest medicus per epistulas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est». – – *pone in pectore dextram,* quod medici facere solent, cum scire volunt, utrum præcordia inflammata

sint an non. Cf. Cels. II. 4: «Mali etiam morbi testimonium est... *præcordia inflammata,* dolentia, dura, tumida, intenta... periculosissimum tamen est, si venæ quoque ibi vehementer agitantur». — *Nil calet hic,* pectus mihi non calet, respondet iuvenis, qui nescit, quorsum verba magistri pertineant. — *Summosque pedes attinge manusque,* verba philosophi. — *Non frigent,* sc. mihi pedes et manus, ergo non sum ægrotus, respondet iuvenis. Recte scholia: «Digitorum summitas sive in manibus sive in pedibus si frigida fuerit, infirmitatem significat» et Cels. II. 4: «Mali etiam morbi signum est..., caput et pedes manusque frigidas habere ventre et lateribus calentibus».

V. 109—111. *Visa est* etc.; ut sciamus, quomodo vss. 109—118. cum præcedentibus cohæreant, ante omnia tenendum est a Græcis morbum corporis et affectum sive perturbationem animi uno nomine πάθος appellari; cf. Cic. de fin. III. 10, 35: «Nec vero perturbationes animorum, quæ vitam insipientium miseram acerbamque reddunt — quas Græci πάθη appellant, poteram ego verbum ipsum interpretans morbos appellare, sed non conveniret ad omnia. Quis enim misericordiam aut ipsam iracundiam morbum solet dicere? At illi dicunt πάθος. Sit igitur perturbatio, quæ nomine ipso vitiosa declarari videtur». Philosophus igitur Persii secutus rationem Stoicorum, qui omnes affectus ex animo radicitus evellendos et ἀπάθειαν sapienti maxime expetendam esse censuerunt, hoc loco ita monet iuvenem: «Tu non laboras morbis corporis (πάθη τοῦ σώματος), sed laboras morbis animi (πάθη τῆς ψυχῆς), i. e. affectibus». Deinde enumerat diversa affectuum genera, quibus iuvenis laboret, scilicet vs. 109. avaritiam, vs. 110. libidinem in amore, vss. 111—114. luxuriam, vs. 115. timorem, vs. 116. iracundiam. Doctrina fabulæ est: qui morbis animi (affecti-

bus) laborat et non adhibet medicinam animi, philosophiam, ita perit animo, ut periit corpore ægrotus ille ex vss. 88—106. notus, qui præcepta medici neglexit. — *Visa est si forte pecunia,* referendum ad avaritiam, ut IV. 47: «viso si palles, improbe, nummo». V. 111—112: «Inque luto fixum possis transscendere nummum Nec gluttu sorbere salivam Mercurialem». Cf. Epict. II. 16, 3: Ὅταν σοι προφάνηται ἀργόριον, μεμελέτηκας ἀποκρίνεσθαι τὴν δέουσαν ἀπόκρισιν, ὅτι οὐκ ἀγαθόν; ibid. III. 2, 8: Περὶ κερμάτιον ἀνεξαπάτητος εἶ; ἐὰν ἴδῃς κοράσιον καλόν, ἀντέχεις τῇ φαντασίᾳ; unde elucet etiam hoc et, quod sequitur *(candida ... puella),* exemplum a Stoicis esse mutuata. — *sive,* pro: *vel si.* — *Candida ... puella,* pulchritudine quasi fulgens; cf. IV. 20: «sum candidus»; Catull. 13, 4: «non sine candida puella»; Hor. Ep. II. 2, 4: «Candidus et talos a vertice pulcher ad imos». — *vicini ... puella,* non filia, sed amica vicini; cf. Catull. 2, 1: «Passer, deliciæ meæ puellæ». — *subrisit molle,* supple: tibi; cf. Hom. Od. XIV. 465: ἁπαλὸν γελάσαι; *subridere* cum accusativo *molle,* ut V. 190: «crassum ridet» et Hor. Carm. I. 22, 23: «Dulce ridentem Lalagen». — *Cor tibi rite salit?* Non palpitat cor tuum vehementius, ut cor eorum solet, qui affectu aliquo concitati sunt?

V. 111—114. *Positum est,* ut I. 53: «calidum scis ponere sumen»; cf. adnotationem ad hunc locum et Juv. XI. 108: «Ponebant igitur Tusco farrata catino». — *algente catino,* frigido catino, quod intolerabile est ei, qui cibos calidos amat. — *Durum olus,* olus non bene coctum; cf. Hor. Sat. II. 4, 18: «Ne gallina malum responset dura palato». — *populi cribro decussa farina,* panis ex viliore farina factus, panis plebeius. Cf. Senec. Ep. 119, 3: «Utrum hic panis sit plebeius an siligineus, ad naturam nihil pertinet»; Plin. N. H. XVIII. 105: «Summa laus (panis) siliginis bonitate et

cribri tenuitate constat». Populus neque siliginem habet neque cribro tenui utitur. — *Temptemus fauces,* utrum devorare possint talem cibum an non. — *tenero latet ulcus in ore,* si talibus cibis fauces tuas temptamus, statim apparet te non esse sanum; est enim luxuria ciborum quasi morbus oris, propter quem duriores cibos devorare non possumus. — *tenero ... in ore,* ut I. 107: «teneras ... auriculas»; vide adnotationem ad hunc locum». — *latet ulcus ... in ore,* in ore tuo celas ulcus incuratum, quod iam putrescere cœpit. Cf. Hor. Ep. I. 16, 24: «Stultorum incurata pudor malus ulcera celat». — *haud deceat,* non liceat. — *plebeia ... beta,* quia beta est vile oleris genus; cf. Senec. 119, 3: «panis plebeius». — *radere,* quia durum olus radit et radendo exasperat ulcus. Cf. Hor. Sat. II. 2, 23—24:

> Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
> Hoc potius, quam gallina, tergere palatum.

V. 115—118. *Alges, cum excussit membris timor albus aristas,* supra (vs. 109.) dixisti te non frigere et tamen alges, cum timore eriguntur pili tui. Est autem *timor* secundum Stoicos genus affectuum sive perturbationum (τῶν παθῶν) animi; cf. Cic. De fin. III. 10, 35: «Omnesque eæ (perturbationes animi) sunt genere quattuor, partibus plures, ægritudo, *formido,* libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo lætitiam appellare». — *excussit membris timor ... aristas,* erigit in membris tuis timor pilos. Cur pro *pilis* dixerit *aristas,* explicatur Varronis (L. L. VI. 49.) verbis: «Tremor dictum a similitudine vocis, quæ tunc, cum valde tremunt, apparet, cum etiam in corpore pili ut aristæ in spica hordei horrent». — *timor albus,* qui homines pallere facit; cf. prol. 4: «pallidamque Pirenen» et adnotationem ad hunc locum. —

Nunc face supposita fervescit sanguis, nunc fervet sanguis tuus ira, ut aqua igne supposito, quamquam supra (vs. 108.) dixisti pectus tibi non calere. Cf. Verg. Aen. VII. 462—464: «Ira super: magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aëni, Exsultant æstu latices.» — *face supposita*, ut Lucr. III. 303: «Nec nimis irai fax unquam subdita percit». — *fervescit sanguis*, cf. Lucr. III. 288—289: «Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira, Cum fervescit». — *ira Scintillant oculi*, cf. de irato Ovid. A. A. III. 504: «Lumina Gorgoneo sævius igne micant» et Lucr. III. 289: «ex oculis micat acribus ardor»; de furioso Plaut. Men. V. 2. 77: «ut oculi scintillant, vide». — *Non sani esse hominis*, supra (vss. 108—109.) dixisti te sanum esse; sed ex iis, quæ ira concitatus dicis et facis, elucet te non esse (mente) sanum. Iratum igitur insanum dicit poeta, quia philosophi iram brevem insaniam esse affirmaverunt; cf. adnotationem ad vs. 8: «Turgescit vitrea bilis». *Non sanus* pro insano, ut supra vs. 46. — *non sanus Orestes*, Orestes a Furiis agitatus, ex tragœdiis notissimus, erat antiquis insaniæ exemplum; cf. Hor. Sat. II. 3, 137—138:

> Quin, ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
> Nil sane fecit, quod tu reprendere possis;

Plat. Alcib. II. p. 143. D. et Lampr. Heliog. 7. Varro teste Gellio (XIII. 4.) librum inscripsit: *Orestes vel de insania.*

SATIRA IV.

Nosce te ipsum.

Pars prima (v. 1—22.) *Socrates inducitur cum Alcibiade iuvene colloquens. Alcibiades rempublicam ante diem capessere vult, sed Socrates, acerba ironia usus, eum nihil eorum, quæ populum docere velit, cognitum habere affirmat. Frustra eum nobilitate et corporis pulchritudine inflatum esse: nam, si consilium spectetur, ad quod vitam suam dirigat, nihil differre ab infima plebe, cum summum ei bonum videatur corporis voluptas. Eadem sapientia uti etiam aniculam olera in foro vendentem, cum merces suas in cælum efferat laudibus.*

V. 1—3. *Rem populi* etc.; vss. 1—22. sunt verba Socratis. Initium satiræ e priore Alcibiade, qui inter Platonicos dialogos servatus est, desumpsit poeta; nam vss. 1—22. Socratis orationem, qua in illo dialogo Alcibiadem corripit, imitatur, sed ita, ut, cum singula fere inde mutuasse clare appareat, suo tamen more omnia exprimat neque servilem in modum exemplar sibi propositum sequatur. — *Rem populi tractas*, idem significat, quod rempublicam tractare apud Cic. De rep. I. 25, 40. Cf. Cic. De orat. I. 45: «Ut ne res temere tractent turbidas.» Quod ad rem ipsam attinet, cf. Plat. Alc. I. p. 106. C (verba Socratis): Διανοεῖ γὰρ παριέναι συμβουλεύων Ἀθηναίοις ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου et ibid 118. B: Διὸ καὶ ἄττεις πρὸς τὰ πολιτικὰ πρὶν παιδευθῆναι; eandem rem attingit Plat. Symp. p. 216. A, ubi Alcibiades de Socrate

dicit: Ἀναγκάζει γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτὸς ἔτι ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω. — *barbatum... magistrum*, Socratem; philosophi enim barbam alebant. Cf. Hor. Sat. II. 3, 35 «sapientem pascere barbam» et Juv. XIV. 12: «*Barbatos* licet admoveas mille inde *magistros*», ubi aperte Persium imitatur. — *sorbitio tollit quem dira cicutæ*, quia veneno cicutæ Socrates necatus est; cf. Senec. Ep. 13, 14: «Cicuta magnum Socratem confecit.» — *tollit*, de medio tollit, necat; cf. Hor. Sat. II. 1, 56: «Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta». Præsens pro perfecto, ut II. 60: «mutat» pro: *mutavit*. Talis præsentis temporis usus sæpe observatur apud Horatium et Vergilium, præcipue in sententiis relativis; cf. Verg. Aen. II. 274—275: «quantum mutatus ab illo Hectore, qui *redit* exuvias indutus Achilli», IX. 266: «Cratera antiquum, quem *dat* Sidonia Dido», XI. 172: «Magna tropæa ferunt, quos *dat* tua dextera leto»; Hor. Sat. I. 2, 55—56: «amator Originis ille, Qui patrium mimæ *donat* fundumque laremque», I. 6, 12: «unde Tarquinius regno pulsus *fugit*», II. 3, 60: «olim cum Ilionam *edormit*», II. 3, 277: «Hellade percussa Marius dum *præcipitat* se, Cerritus fuit?» — *Quo fretus?* Unde sumis tantam tui fiduciam, ut rempublicam capessere audeas? Cf. Plat. Alc. I. p. 123. E: τί οὖν ποτ' ἔστιν, ὅτῳ πιστεύει τὸ μειράκιον; — *magni pupille Pericli*, quia Pericles, vir in republica Atheniensium facile princeps, erat tutor Alcibiadis. Cf. Plat. Alc. I. p. 104. B: Ξυμπάντων δὲ ὧν εἶπον μείζω οἴει σοι δύναμιν ὑπάρχειν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτροπον κατέλιπέ σοί τε καὶ τῷ ἀδελφῷ. — *pupille*, hoc loco idem significat, quod Hungarice *gyámfiú*, Germanice *Mündel*; recte scholia: «Tutores dicunt pupillos suos, quibus tutelam gerunt». — *Pericli*, genitivus, ut *Neocli* apud Nep.

Them. I. Cf. etiam *Achilli* et *Ulixi* (genit.) passim apud Vergilium.

V. 4—5. *Scilicet,* ironice. -- *ingenium et rerum prudentia,* aperte imitatur Verg. Ge. I. 416:

> Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
> Ingenium aut rerum fato prudentia maior.

Ingenium est naturalis mentis facultas, quæ tamen ante certum tempus non maturescit; cf. adnotationem ad prol. 10: «ingenique largitor». *Rerum prudentia* autem nulla potest esse sine experientia, quam homo admodum iuvenis nondum potest habere. Cf. etiam Hor. Carm. IV. 9, 34—36: «est animus tibi *Rerumque prudens* et secundis Temporibus dubiisque *velox*». -- *velox,* pro adverbio; cf. Ovid. A. A. I. 185: «Ingenium cæleste suis velocius annis Surgit». -- *Ante pilos,* ante barbam; erat enim Alcibiades tunc temporis iuvenis imberbis; cf. Plat. Alcib. I. p. 110. C: ὦ ἄρα ἐπίστασθαι καὶ παῖς ὤν, ὡς ἔοικε, τὰ δίκαια καὶ ἄδικα. — *dicenda tacendaque calles,* quod est viri prudentis; stultus enim dicenda tacendaque pariter eloquitur. Cf. Hor. Ep. I. 7, 72—73:

> Ut ventum ad cenam est, dicenda tacenda locutus
> Tandem dormitum dimittitur;

Quint. Inst. Or. II. 20, 5: «Si consonare sibi in faciendis et non faciendis virtutis est, quæ pars eius prudentia vocatur, eadem in dicendis et non dicendis erit». Eodem pertinet Aesch. Cho. 582: σιγᾶν ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια. — *calles,* cum accusativo: alicuius rei peritum esse; cf. Hor. A. P. 274:

> Legitimumque sonum digitis callemus et arte.

V. 6—9. *ubi commota fervet plebecula bile,* cum in concione populus ob causam aliquam iratus tumultuatur — *fervet . . . bile,* ut apud Hor. Carm. I. 13, 4: «Fervens difficili bile tumet iecur.» — *plebecula,* contemptim, ut apud Cic. Ad Att. I. 16, 11: «misera ac ieiuna plebecula» et Hor. Ep. II. 1, 185—186:

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles; his nam plebecula gaudet.

— *Fert animus,* epicam gravitatem ironice imitatur poeta; cf. Ov. Met. I. 1: «In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora»; Lucan. I. 67: «Fert animus causas tantarum expromere rerum.» — *calidæ . . . turbæ,* populo concitato, dativus; cf. Hor. Sat. I. 3, 53: «Caldior est: acris inter numeretur». — *fecisse silentia,* ut Plaut. Amph. prol. 15: «Huic facietis fabulæ silentium»; Tac. Hist. III. 20: «ubi adspectu et auctoritate silentium fecerat». *Fecisse* pro *facere,* ut I. 42: «os populi meruisse»; cf. adnotationem ad h. l. — *Maiestate manus,* manu cum dignitate quadam sublata; oratores enim in concione manu sublata silentium poscebant. Cf. Ov. Met. I. 205: «qui postquam voce manuque Murmura compressit, tenuere silentia cuncti»; Tac. Ann. I. 25: «stabat Drusus silentium manu poscens»; Lucan. I. 297: «tumultum Composuit vultu dextraque silentia iussit»; Amm. Marc. XXVI. 2: «Valentinianus, præmeditata dicere parans, bracchium exsertat et elata prospere dextera ausus increpare quosdam». — *Quid deinde loquere?* Scisne, quid tibi loquendum sit? Satisne præparatus in rostra escendisti? — *Quirites,* cives, non cives Romani; agitur enim de civibus Atheniensibus. Cf. Verg. Ge. IV. 201—202. de apibus: «ipsæ regem parvosque Quirites Sufficiunt aulasque et cerea regna refigunt». — *Hoc . . . non iustum est,*

de qua re etiam in dialogo Platonico, quem Persius imitatus est, agitur; cf. Alcib. I. p. 113. B: Οὐκοῦν ἐλέγχθη, ὅτι περὶ δικαίων καὶ ἀδίκων Ἀλκιβιάδης ὁ καλὸς ὁ Κλεινίου οὐκ ἐπίσταιτο, οἴοιτο δέ, καὶ μέλλοι εἰς ἐκκλησίαν ἐλθὼν συμβουλεύσειν Ἀθηναίοις περὶ ὧν οὐδὲν οἶδεν; — *puta*, ultima syllaba correpta idem significat, quod: exempli gratia; hoc verbum autem Socrates non Alcibiadi concionanti tribuit, sed ipse interiicit, ac si dicat: Quid deinde loqueris? Exempli gratia hæc: «Quirites, hoc iustum est» etc. Cf. Hor. Sat. II. 5. 32—33:

«Quinte» puta, aut «Publi» (gaudent prænomine molles
Auriculæ) «tibi me virtus tua fecit amicum».

— *illud male, rectius illud;* cf. Hor. Sat. I. 4, 134: «rectius hoc est: Hoc faciens vivam melius».

V. 10—13. *Scis etenim*, ironice. — *iustum gemina suspendere lance Ancipitis librœ*, sensu proprio: etiam tum, cum pondera in utraque libræ lance pæne æqua sunt, ut difficillimum sit diiudicare, quorsum ligula vergat, tu discernere potes, ubi sit pondus maius; sensu translato: etiam tum, cum difficile est dicere, utra parte ius sit, tu scis, ubi ius sit, ubi iniuria. Cf. Hor. Sat. II. 5, 34: «Ius anceps novi.» — *gemina lance* pro: geminis lancibus, ut Ovid. A. A. II. 644: «Mobilis in gemino cui pede pinna fiut». — *suspendere lance . . . librœ*, ut V. 47—38: «Nostra vel æquali suspendit tempora Libra Parca tenax veri.» — *Ancipitis librœ*, libra anceps est, cum pondera in utraque lance pæne æqua sunt. — *rectum discernis, ubi inter Curva subit, vel cum etc.* agnoscis rectum etiam tum, cum difficile est rectum a non recto discernere; *rectum* et *curvum* sensu ethico, ut Hor. Ep. II. 2, 44: «Scilicet ut vellem curvo dignoscere rectum» et apud Persium III. 52: «Haud

tibi inexpertum curvos deprendere mores». — *vel cum*, etiam si; etiam tum, cum etc. — *fallit pede regula varo*, *regula* est proprio sensu instrumentum, cuius auxilio recta linea ducitur, Hungarice *vonalzó*, Germanice *Lineal;* regulæ autem *pes varus* tribuitur, quia regula in *pedes* (genus mensuræ) erat distincta ad longitudinem metiendam et quia regula non recta similis est pedibus varis hominis. Sensu translato: tu, quid sit rectum, etiam tum agnoscis, cum præceptum ipsum, ex quo rectum agnoscitur, fallit; quod fit, cum exempli gratia rigor legum, ne summum ius in summam iniuriam vertatur, æquitate est leniendus. — *potis es*, cf. I. 56: «Qui pote» et adnotationem ad h. l. — *nigrum vitio præfigere theta*, nigrum signum condemnationis vitio apponere (i. e. vitium a virtute discernere et damnare), ut critici locis scriptorum a se damnatis ὀβελὸν apponere solent; cf. Hor. A. P. 445—447: «Vir bonus et prudens versus reprendet inertis, Culpabit duros, incomptis adlinet *atrum* Transverso calamo *signum*.» — *nigrum ... theta*, signum condemnationis; iudices enim Athenis, si quem mortis damnabant, utebantur in suffragio ferendo tabellis littera Θ (θάνατος) signatis. *Theta* autem *nigrum* vocatur, quia mortiferum est. Cf. Mart. VII. 37, 2.

V. 14—16. *Quin*, in iterrogatione: cur non, ut II. 71—72: «Quin damus id superis, de magna quod dare lance Non possit magni Messalæ lippa propago?» — *summa nequiquam pelle decorus*, externa pulchritudine fulgens, introrsum turpis. Cf. Hor. Sat. II. 1, 64: «Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet introrsum turpis», Ep. I. 16, 45: «Introrsum turpis, speciosus pelle decora» et apud Persium ipsum V. 115—117: «Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ, Pelliculam veterem retines et fronte politus Astutam vapido servas in pectore volpem».

Pulchritudo Alcibiadis notissima est. — *blando . . . popello*, populo, qui tibi ob externam pulchritudinem et nobilitatem familiæ blanditur; *popello* contemptim, ut supra vs. 6: «plebecula.» — *caudam iactare popello*, se gloriose ostentare populo blandienti, ut pavo, cum laudes spectatorum audiens caudam explicat; nam pavo, exemplum vanæ superbiæ, sententia antiquorum laudes spectatorum intellegit et ob id ipsum caudam explicare solet. Cf. de pavone Hor. Sat. II. 2, 26: «picta pandat spectacula cauda»; Plin N. H. X, 43: «Itaque præcedent et ordine, omnesque reliquas in his pavonum genus cum forma tum intellectu eius et gloria. Gemmantes *laudatus* expandit colores»; Ov. Ar. am. I. 627—628: «Laudatas ostendit avis Iunonia pinnas: Si tacitus spectes, illa recondit opes» et Med. fac. 33—34: «Laudatas homini volucris Iunonia pennas Explicat». *Iactare* alicui aliquid, ut Sen. Contr. 9, 4 (27), 6: «habuisti, quod tyranno iactares». — *Anticyras melior sorbere meracas*, quem sorbere elleborum meracum melius foret, quam rempublicam capessere. De usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59. «imitari mobilis» et Val. Flac. I. 424: «melior contundere». — *Anticyras*, audaci translatione pro elleboro, quod ibi nascitur et insaniæ medetur; cf. Plin. N. H. XXV. 54: «Nigrum (elleborum) medetur paralyticis, *insanientibus*, hydropicis». Alcibiadem autem insanum esse dicit more Stoicorum, qui omnes non sapientes non modo stultos, sed etiam insanos esse contenderunt; cf. III. 116—118. et Cic. De fin. IV. 27, 74. de Stoicis: «Solum (sapientem) præterea formosum, solum liberum, solum civem; *stultos* omnia contraria, quos etiam *insanos* esse vultis». *Anticyras* plurali numero posuit, quia duæ erant Anticyræ, altera in Phocide ad sinum Corinthiacum, altera in Malide ad sinum Maliacum et in utroque oppido nasce-

batur elleborum; cf. Strab. IX. p. 418. D. Intellege igitur Alcibiadem eo insaniæ esse provectum, ut una Anticyra ei non sufficiat. Cf. Hor. Sat. II. 3, 83: «Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem» et A. P. 300: «tribus Anticyris caput insanabile.» — *meracas*, elleborum merum, non mixtum, quia talis insania validiora medicamenta poscit. Cf. Hor. Ep. II. 2, 137: «Expulit elleboro morbum bilemque meraco».

V. 17—18. *Quæ tibi summa boni est?* etc.; quid est tibi summum bonum? Non virtus, ut sapientes docent, sed corporis voluptas. — *summa boni*, ut apud Horatium *summum boni*. pro: *summum bonum;* cf. Hor. Sat. II. 6, 76: «quæ sit natura boni summumque quid eius». — *Uncta vixisse patella*, cibis unctis (lautis, delicatis, luxuriosis) frui; cf. III. 102: «Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris», VI. 16: «cenare sine uncto», VI. 69: «unge, puer, caules.» — *vixisse*, inf. perf. pro inf. præs. Cf. adnotationem ad I. 42: «os populi meruisse.» — *adsiduo curata cuticula sole*, mos erat antiquorum, ut in balneis oleo uncti in sole ambularent (apricatio), quod putabant ad valetudinem firmandam pertinere; sed hoc assidue diuque facere erat otiosorum et pigrorum. Cf. infra vs. 33: «At si unctus cesses et figas in cute solem»; Plin. Ep. III. 1, 8: «Ubi hora balinei nuntiata est . . . in sole, si caret vento, ambulat nudus»; Mart. X. 12, 7: «totos avida cute combibe soles»; Juv. XI. 203—208:

> Nostra bibat vernum contracta cuticula solem
> Effugiatque togam. Iam nunc in balnea salva
> Fronte licet vadas, quamquam solida hora supersit
> Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus
> Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
> Magna; voluptates commendat rarior usus.

— *curata cuticula*, de cura corporis, ut apud Hor. Ep. I. 2, 29: «In cute curanda plus æquo operata iuventus» et Ep. I. 4, 15: «bene curata cute.» — *cuticula*, deminutiva forma contemptum significat, ut apud Hor. Sat. II. 5, 38: «pelliculam curare» et Juv. XI. 203: «Nostra bibat vernum contracta cuticula solem».

V. 19—22. *Exspecta*, ut Hungarice *várj csak*, Germanice *warte nur;* cf. Senec. De benef. V. 12: «Dicis me abesse ab eo, qui operæ pretium facit, immo totam operam bona fide perdere? Exspecta: etiam hoc verius dices». — *haud aliud respondeat*, idem sibi summum bonum esse dicat, quod tu tibi; eadem sapientia utitur, qua tu. — *hæc anus*, anus de infima plebe, infra vs. 21. Baucis nominata. — *I nunc*, idem fere significat, quod *age*, sed sensu ironico usurpatur et semper imperativum alterum adiunctum habet; hoc loco cum *suffla* (vs. 20.) iungendum. Cf. Hor. Ep. I. 6, 17—18: «I nunc, argentum et marmor vetus æraque et artis Suspice», II. 2, 76: «I nunc et versus tecum meditare canoros»; Verg. Aen. VII. 425—426: «I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis; Tyrrhenas, i, sterne acies». — *Dinomaches ego sum*, Græcismus pro: Dinomaches filius sum; cf. Plat. Alcib. I. p. 123. C.: ὁ Δεινομάχης υἱός. Matrem commemorat, quia Dinomache ex celeberrima Alcmæonidarum gente erat orta; cf. Plut. Vit. Alcib. 1: Τὸ Ἀλκιβιάδου γένος ἄνωθεν Εὐρυσάκην τὸν Αἴαντος ἀρχηγὸν ἔχειν δοκεῖ, πρὸς δὲ μητρὸς Ἀλκμαιονίδης ἦν ἐκ Δεινομάχης γεγονὼς τῆς Μεγακλέους. — *suffla*, sensu intransitivo: sis inflatus superbia; *sufflare* enim hoc loco significat superbia inflatum esse. Similiter usurpantur Græce φυσᾶν et φύσημα de superbia, ut Lucian. 1, 473: Ὑπεμίμνησκον ἡλίκον ἐφύσα τότε, ἡνίκα πολλοὶ ἔτι τῶν πυλώνων παρειστήκεσαν; Plat. Alc. II. p. 145. e: Ἀνδρῶν πολιτικῶν πολιτικὸν φύσημα φυσώντων. — *sum candidus*, pulcher; cf.

III. 110: «Candida vicini subrisit molle puella» et adnotationem ad h. l. De re ipsa cf. Plat. Alcib. I. p. 104. A: Οἶει γὰρ δὴ εἶναι πρῶτον μὲν κάλλιστός τε καὶ μέγιστος, καὶ τοῦτο μὲν δὴ παντὶ δῆλον ἰδεῖν, ὅτι οὐ ψεύδει. — *Esto*, Græce εἶεν, bene est, non contradico; cf. II. 42. — *Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis*, dummodo concedas, te non esse sapientiorem Baucide; *dum ne* in sententia condicionali, ut Cic. ad Att. VIII. 11: «Ego si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro.» — *deterius sapiat*, sapientiam deteriorem habeat. — *pannucia*, anus de infima plebe pannis obsita; cf. Petron. 4: «(vestis) pannucia» et scholia: «pannucea vulgariter pro pannosa dixit, id est pannis obsita». — *Baucis*, anus supra vs. 19. commemorata. Nomen Græcum muliebre, notissimum ex fabula de Philemone et Baucide; cf. Ov. Met. VIII. 630. sqq. — *Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ*, cum olera sua cantando bene laudaverit vernæ discincto. *Baucis* enim est λαχανόπωλις, quæ olera in foro vendit et merces suas coram emptoribus in cælum effert laudibus; *verna* autem est ἀγοραστής, qui domini iussu olera in foro coemit. Cum igitur Baucis merces suas tam bene laudat, videtur eadem, qua Alcibiades (cf. vs. 17: «uncta vixisse patella») sapientia uti: summum bonum in vita putare cibos delicatos. — *bene ... cantaverit*, adverbium *bene* non est cum *discincto*, sed cum *cantaverit* iungendum; *cantare* autem referendum est ad morem institorum, qui merces suas, ut hodie quoque observare licet, cum modulatione quadam clamando emptoribus commendant; cf. Senec. Ep. 56, 2: «Iam libarii varias exclamationes et botularium et crustularium et omnes popinarum institores merces sua quadam et insignita modulatione vendentes». Sed cum *cantare* apud poetas sæpissime significet *cantando laudare*, *bene cantare* hoc loco

ita intellegendum est: *cantando bene laudare,* quod Baucis revera facit, nam, cum cantat, laudat merces suas. — *discincto ... vernæ,* cf. Horatium, qui de vernis suis (Sat. II. 6, 66—67.) dicit:

> Ante larem proprium vescor *vernasque procaces*
> Pasco libatis dapibus.

Vernam igitur Persius *discinctum* (dissolutum, neglegentem) appellat, quia servi in domo domini sui nati minus severa disciplina continebantur erantque adeo neglegentes et impudentes, ut nequitia eorum in proverbium abierit. *Discinctus* idem, quod hoc loco, significat etiam supra III. 31. — *ocima;* ocimum, genus oleris apud antiquos vulgare (*Ocimum basilicum L.*), ponitur hoc loco pro oleribus a Baucide venditis. Cf. Cels. De med. II. 22, 29, 31, 33.

Pars secunda (v. 23—41.) *Missa Socratis persona poeta suo nomine loquitur. Nemo se ipsum cognoscere temptat, sed omnes aliorum vitia carpunt et iniuste exaggerant. Unde fit, ut, si quis veterem Sabinorum disciplinam secutus parce vivat, sordidæ avaritiæ nota afficiatur, sin autem corpus diligentius curet, cinædus nominetur.*

V. 23—24. *Ut nemo in sese temptat descendere,* supple: eo consilio, ut se cognoscat; agitur enim de sui ipsius notione, ut apud Platonem (Alcib. I. p. 124. B.) Socrates Delphicum illud γνῶθι σεαυτὸν Alcibiadi in mentem revocat. *In se descendere,* id est: in intimos animi sui recessus penetrare, quod præter Persium nusquam occurrit, ad verbum respondet Hungarico *magába szállani.* Ceterum sciendum est inde a v. 23. poetam, missa Socratis persona vss. 1—22. inducta, suo nomine loqui. — *Sed præcedentis spectatur mantica tergo,* sed aliorum vitia videmus. Notissima est Aesopi fabula, apud Phædr. IV. 10:

Peras imposuit Iuppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem;
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

Hanc fabulam respiciunt Catull. 22, 21: «Sed non videmus, manticæ quod in tergo est»; Hor. Sat. II. 3, 299: «Respicere ignoto discet pendentia tergo»; Senec. De ira II. 28, 8: «Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt». Persius fabulam mutavit: homines enim aliena vitia non in mantica sua ante suspensa, sed in mantica aliena, quam præcedens in tergo portet, videre dicit.

V. 25—26. *Quæsieris*, si quæsieris ab aliquo. — *Vettidi*, Vettidius, nomen hominis nobis ignoti, fortasse personæ fictæ. Ceterum *L. Vetidius Rufus* occurrit in CIL. X. 3663. — *Dives arat*, agros possidet; cf. Hor. Epod. 4, 13: «Arat Falerni mille fundi iugura»; Senec. Ep. 87, 6: «Divitem illum putas, quia aurea supellex etiam in via sequitur, quia in omnibus provinciis arat». — *Curibus*, in oppido Sabinorum; est igitur Vettidius ille homo Sabinus, veteris Sabinorum disciplinæ tenax, vitæ simplicis amator. Sabini enim etiam Juvenalis tempore multum veteris frugalitatis retinebant; cf. Juv. III. 167—168:

Fictilibus cenare pudet, quod turpe negabis
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam.

Sed parsimoniam huius Vettidii sordidæ avaritiæ nota afficit alter colloquentium vss. 27—32. Unde elucet homines aliena vitia non solum facile animadvertere, sed etiam iniusto modo exaggerare. — *quantum non miluus errat*, ingentem possessionis magnitudinem significat; scholia:

«dici solet secundum proverbium: quantum milvi volant». Cf. Petron. 37: «Ipse Trimalchio fundos possidet, qua milvi volant»; Iuv. IX. 54—55:

> Dic, passer, cui tot montis, tot prædia servas
> Apula, tot milvos intra tua pascua lassos.

— *miluus*, tres syllabæ, antiquior vocis forma, ut Hor. Epod. 16, 32: «Adulteretur et columba miluo.» — *errat*, sensu transitivo, ut apud Verg. Aen. III. 690: «littora errata» et Ov. Fast. IV. 573: «terræ erratæ».

V. 27—29. *dis iratis*, de avaro: deos iratos habens; deos iratos habentem sive dis iratis natum dixerunt antiqui eum, qui miseram vitam agit, et præcipue avaros, qui omnibus vitæ gaudiis se fraudant, ne pecuniam minuere cogantur; cf. Hor. Sat. II. 3, 122—123. de sene avaro: «Filius aut etiam hæc libertus ut ebibat heres, Dis inimice senex, custodis?» et Phædr. IV. 19, 15. de dracone thesaurum custodiente et avaro simili: «Dis est iratis natus, qui est similis tibi.» — *genioque sinistro*, genium sinistrum habet avarus, qui vitæ gaudiis non fruitur, genium dextrum ille, qui voluptates non spernit et, ut V. 151. legimus, *genio indulget*. Persius ante oculos habuit Hor. Ep. II. 2, 183—189., ubi agitur de duobus fratribus, quorum alter voluptatibus se dedit, alter avarus est, et hæc morum diversitas genio cuiusque tribuitur:

> Cur alter fratrum cessare et ludere et ungui
> Præferat Herodis palmetis pinguibus, alter
> Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu
> Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
> Scit *Genius*, natale comes qui temperat astrum,
> Naturæ deus humanæ mortalis, in unum
> Quodque caput voltu mutabilis, *albus* et *ater*.

Genius sinister igitur apud Persium idem significat, quod apud Horatium *genius ater*. Ceterum totum vs. 27. imitatus est Juv. X. 129: «Dis ille adversis genitus fatoque sinistro.» — *quandoque iugum pertusa ad compita figit*, agitur de Compitalibus, festo agricolarum post finitos labores agrestes in honorem Larum compitalium feriis conceptivis a prætore indictis celebrato, brevi post Saturnalia tempore. — *quandoque*, quandocumque, ut Hor. A. P. 359: «Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.» — *iugum... ad compita figit;* hoc loco *compitum* significat ædiculam Larum compitalium in compito exstructam, ut in inscriptionibus (Grut. 107, 1. Fabr. 232, 610.) et apud Paul. Fest. s. v. *pilæ et effigies* (p. 305. ed. Thewrewk) et Plin. N. H. III. 66: «compita Larum CCLXV». De re ipsa recte scholia: «In his (compitis) fracta iuga ab agricolis ponuntur velut emeriti aut elaborati operis indicium». Simile est, quod Paul. Fest. (s. v. *pilæ et effigies)* narrat de pilis in compito suspensis: «Pilæ et effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent, quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent et essent his pilis et simulacris contenti.» — *pertusa ad compita*, ad ædiculas Larum perforatas; ædiculæ enim Larum in compitis erant in omnes quattuor partes patentes, quasi perforatæ (vide: *Rich*, Illust. Wört. s. v.); recte scholia: «Compita sunt loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrabant. Merito *pertusa*, quia per omnes quattuor partes pateant». *Pertusa* igitur idem significat, quod apud Calpurnium (4, 125—126.) *pervia:*

Utque bono plaudat paganica turba magistro,
Qui facit egregios ad *pervia* compita ludos.

Pertusum idem, quod *perforatum, foraminosum*, ut Lucr. IV. 1286—1287:

Nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
Umoris longo in spatio *pertundere* saxa;

Juv. V. 130—131: «plurima sunt, quæ Non audent homines pertusa dicere læna»; Senec. Apocol. 14: «Tum Aeacus iubet illum (Claudium) alea ludere pertuso fritillo.» — *figit*, proprie dicitur de donariis, quæ diis consecrabantur; cf. Hor. Ep. I. 1, 4—5: «Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro»; Verg. Aen. III. 286—287: «Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis, Postibus adversis figo.» — *Seriolæ veterem metuens deradere limum*, Vettidius, homo dives, habet vinum vetus, sed propter avaritiam ne festo quidem die seriolam aperire vult et, ut vs. 33. videbimus, vappam bibit. Cf. Hor. Sat. II. 3, 142—144:

Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla

et adnotationem ad Persii V. 147: «Veientanumque rubellum»; Hor. Sat. II. 3, 115—117:

Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
Potet acetum.

— *seriolæ*, hoc loco seria vinaria (vas fictile), ut Ter. Heaut. 460: «Relevi dolia omnia, omnes serias.» — *veterem . . . limum*, qui seriæ diu servatæ adhæsit et, antequam seria

aperiatur, deradendus est; cf. Hor. Sat. II. 4. 80: «Sive gravis veteri creterræ limus adhæsit.» — *metuens deradere, metuere* cum infinitivo; cf. Hor. Sat. II. 5. 65: «Nasicæ metuentis reddere soldum» et adnotationem Kiesslingii ad h. l.: «Gemäss der in der Umgangssprache ganz gewöhnlichen Struktur von *metuo* = *nolo* mit dem Infinitiv ist auch hier, wo *metuentis* seine eigentliche Bedeutung beibehalten hat — er fürchtet sich davor, zurückzahlen zu müssen — der Infinitiv eingetreten».

V. 30—32. *Ingemit: Hoc bene sit;* Vettidius amat bonum vinum, sed propter avaritiam bibere non audet. Ob hanc causam gemit, cum vilissimos cibos edit et vappam (vs. 32.) bibit, dicit tamen: «Hoc (sc. vilissimo cibo vinoque) volo contentus esse». — *Hoc bene sit,* hoc (abl.) bene sit mihi, hoc volo contentus esse; *aliqua re bene est alicui* significat: contentum esse aliqua re, delectari aliqua re. Cf. Plaut. Cas. II. 3, 37: «Ubi illi bene sit ligno, aqua calida, cibo, vestimentis»; Hor. Sat. II. 2, 120: «bene erat non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque hædo»; Ov. Fast. IV. 399: «bene erat iam glande reperta.» — *tunicatum... cæpe,* avarus cæpe, vilissimum infimæ plebis alimentum, una cum siliqua comedit, ne quid ex eo perdat. *Tunica* passim apud Plinium pro *siliqua;* cf. Juv. XIV. 153: «tunicam mihi malo lupini»; Stat. Silv. IV. 9, 30: «bulborum tunicas mihi malo»; inde apud Persium *tunicatum cæpe.* — *farratam pueris plaudentibus ollam,* festo Compitalium servi epulantes cum plausu excipiunt ollam, quæ pultem continet; *plaudere* cum accusativo, ut Stat. Silv. V. 3, 140: «Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ»; Ov. Trist. IV. 2, 49: «manibus circumplaudēre tuorum.» — *farratam... ollam,* olla pultem e farre factam continens, quæ erat cibus vulgaris rusticorum; cf. Juv. XI. 108: «Ponebant

igitur Tusco *farrata* catino», ubi *farrata* (-orum) pultem significat; Juv. XIV. 171: «grandes fumabant pultibus ollæ»; Mart. XIII. 8, 1: «Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas». Notatur avarus, qui ne Compitalibus quidem meliores epulas servis dat, quamquam ipse Cato Censorius, severæ disciplinæ cultor, De r. r. 57. Compitalibus vini congios singulis servis supra id, quod cotidie iis dabatur, præberi iubet. — *pueris plaudentibus*, quia pueri, i. e. servi, festo Compitalium eadem, qua Saturnalibus, libertate gaudebant. Cf. Dion. Halic. IV. 14: Τοῖς δὲ τὰ περὶ τῶν γειτόνων ἱερὰ συντελοῦσιν ἐν τοῖς προνωπίοις οὐ τοὺς ἐλευθέρους, ἀλλὰ τοὺς δούλους ἔταξε παρεῖναί τε καὶ συνιερουργεῖν . . . ἦν ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων, σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ, Κομπιτάλια προσαγορεύοντες αὐτὴν ἐπὶ τῶν στενωπῶν . . . καὶ φυλάττουσι τὴν ἀρχαῖαν ἐθισμὸν ἐπὶ τῶν ἱερῶν, διὰ τῶν θεραπόντων τοὺς ἥρωας ἱλασκόμενοι καὶ ἅπαν τὸ δοῦλον αὐτῶν ἀφαιροῦντες ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. — *Pannosam fœcem morientis sorbet aceti*, avarus, ne dolium integrum relinere cogatur, etiam fæcem ebibit vini corrupti, quod iam in acetum mutatum est. Cf. Hor. Sat. II. 2, 58: «Ac nisi mutatum parcit defundere vinum». — *Pannosam fœcem*, quia fæx vini corrupti mucore, quasi pannis, obsita est. — *morientis . . . aceti*, hoc loco *acetum* significat vinum corruptum, vappam, ut apud Hor. Sat. II. 3, 115—117:

> Si positis intus Chii Veterisque Falerni
> Mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
> Potet *acetum*,

quos versus Persius in avaro describendo procul dubio ante oculos habuit. *Acetum moriens* est vinum, quod iam omnem vim saporemque amisit, ut *unguentum moriens* est

unguentum, quod odorem amisit. Cf. Plin. N. H. XIII. 20: «Unguenta ilico exspirant et suis *moriuntur* in horis».

V. 33 -36. *At si* etc.; homines aliena vitia semper exaggerant: ut ex parco avarum (vss. 27—32.), ita ex viro corpus diligentius curante cinædum faciunt. — *unctus cesses et figas in cute solem*, referendum ad apricationem, de qua vide adnotationem supra ad vs. 18. — *unctus cesses*, imitatur Hor. Ep. II. 2, 183—184: «Cur alter fratrum cessare et ludere et ungui Præferat». — *figas in cute solem*, radios solis, quasi tela, in cute figere, i. e. apricari. Cf. Senec. De vit. be. 27, 3: «Quærite aliquem mollem cedentemque materiam, in qua tela vestra figatis». — *Est prope te ignotus, cubito qui tangat*, imitatur Hor. Sat. II. 5. 42—43:

> Nonne vides — aliquis cubito stantem prope tangens
> Inquiet — ut patiens, ut amicis aptus, ut acer.

- *prope te ignotus*, intellegendum de balneis publicis, ubi ille, quem poeta vs. 33. allocutus est, coram multis ignotis apricatur. — *cubito qui tangat*, quod facere solent, qui alios admonere volunt. — *acre Despuat*, vehementer in te invehatur; *acre despuere*, ut I. 90: «verum plorabit», III. 110: «subrisit molle». — *Hi mores* etc.; vss. 35—41. sunt verba ignoti illius vs. 34. inducti. Ignotus in apricantem vehementer invehitur, quia eum, quem corpus unguentis et apricatione diligenter curare videt, nimium mollem effeminatumque esse et cinædorum more vivere putat. — *penemque arcanaque lumbi Runcantem populo marcentis pandere vulvas*, accusativus cum infinitivo in exclamatione sine verbo regenti, ut Ter. Andr. I. 5, 10: «Adeone hominem esse infelicem quemquam, ut ego sum»; Verg. Aen. I. 37: «mene incepto desistere victam». Cf. Cic. Att. II. 6, 5;

XI. 12, 44. — *penemque arcanaque lumbi Runcantem;* solebant illi, qui muliebria patiebantur, podicem et inguina levigare; cf. Juv. II. 11—13. de cinædo:

Hispida membra quidem et duræ per bracchia setæ
Promittunt atrocem animum, sed *podice levi*
Cæduntur tumidæ medico ridente mariscæ;

Mart. II. 62, 1—2:

Quod pectus, quod crura tibi, quod bracchia vellis,
Quod cincta est brev'bus *mentula tonsa* pilis,

et IX. 27, 1—2:

Cur depilatos, Chreste, coleos portes
Et vulturino mentulam parem collo?

— *arcanaque lumbi,* pudenda; cf. Clem. Alex. pæd. III. 3. p. 96. Sylb.: τῆς φύσεως ἀπόῤῥητα. — *Runcantem, runcare* proprie dicitur de agricolis, qui inutiles herbas evellunt; cf. Varr. De r. r. I. 30: «Segetes runcari, id est herbam e segetibus expurgari». Hoc loco iocose de iis, qui pilos sibi evellunt. — *populo marcentis pandere vulvas,* de iis, qui mercede conducti muliebria patiuntur: publice prostare, ut meretrices. — *marcentis . . . vulvas, vulva* de culo pathici, quia muliebria patitur; *marcentis,* quia pathicus non est iam in flore ætatis, ut pueri delicati; *marcere* enim proprie flos dicitur.

V. 37—38. *maxillis,* genis; cf. Mart. VIII. 47:

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars tibi vulsa; unum quis putat esse caput?

— *balanatum gausape; gausape* (occurrunt etiam aliæ vocis formæ: *gausapum, gausapa* et *gausapes)* proprie signi-

ficat genus panni villosi, Hungarice «bolyhos gyapjúszövet», Germanice «zottiger Friesstoff». Hic iocose pro *barba. Balanatum,* quia antiqui capillos et barbam unguento suave olenti, ex oleo balanino facto, perfundere solebant; cf. Hor. Carm. III. 29, 4—5: «Pressa tuis *balanus* capillis Iam dudum apud me est»; Plin. N. H. XIII. 8: «Unguentorum expeditissimum fuit primumque, ut verisimile est, e bryo et *balanino* oleo». *Balanus* sive *myrobalanum,* de quo hoc loco agitur, est fructus arboris, quam viri docti *Hyperanthera Maringa Vahl.* vocant; cf. Plin. N. H. XII. 100: «Myrobalanum Trogodytis et Thebaidi et Arabiæ, quæ Iudæam ab Aegypto disterminat, commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet, quo item indicatur et glandem esse. Arbor est heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio, fructus magnitudine abellanæ nucis». — *pectas,* diligenter cures, ut homines delicati; cf. I. 15: *pexus.* — *detonsus gurgulio,* detonsus penis; cf. adnotationem ad vss. 35—36: «penemque arcanaque lumbi Runcantem»; *gurgulio* sive *curculio* proprie significat vermem, qui Hungarice *zsizsik,* Germanice *Kornwurm* vocatur, hoc loco iocose de pene usurpatur. Similiter Græcorum δρῖλος et vermem et penem singificat.

V. 39—41. *palæstritæ,* servi, qui in balneis ungendi, depilandi aliisque officiis fungebantur. Cf. Petron. 21: «Intraverunt palæstritæ quamplures et nos legitimo perfusos oleo refecerunt». — *hæc plantaria vellant,* pilos tibi evellant; *plantaria* proprie plantas (Hungarice *ültetvény,* Germanice *Setzling)* significant et hortum, ubi plantatur (Hungarice «ültetvényes kert», Germanice «Pflanzschule»), hoc loco sensu translato: *pilos* in podice; poeta enim comparationem ab agricultura desumptam, quam supra vs. 36 *(Runcantem)* iam indicavit, nunc continuat. — *Elixasque nates,*

quia depilatio fiebat post lavationem in caldario. — *labefactent,* ut fossores solum agri labefacere solent; cf. Verg. Ge. II. 264: «Et labefacta movens robustus iugera fossor». Idem significat Hungarice: *a földet felporhanyítani,* Germanice «*den Boden auflockern*». — *forcipe adunca,* volsella pilis evellendis apta; cf. Mart IX. 27, 5; Tertull. de pall. 4. — *felix,* filix; cf. Paul. Fest. s. v. *felicata* (p. 61. ed. Thewrewk): «felicata patera dicta, quod ad *felicis* herbæ speciem sit cælata»; hoc loco iocose pro *pilis.* — *ullo mansuescit aratro,* proprie non filix, sed ager filice obsitus mansuescit aratro; cf. Verg. Ge. II. 228—239:

> Salsa autem tellus et quæ perhibetur amara,
> Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando;

Hor. Ep. II. 2, 186: «Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum».

Pars tertia (v. 42—52.) *Homines, dum alios vituperant, se ipsos præbent vituperandos. Tamen id agunt, ut vitia sua quovis modo tegant, et libentissime audiunt laudem, quam non merentur. Sed imperitorum laudibus nulla fides est habenda; nam, si pravis cupiditatibus laboras, si avarus aut libidinosus es, si iniustum fenus exerces, frustra ab aliis laudaris. In te ipsum descende, perscrutare animum tuum et videbis, quantum tibi desit ad perfectam virtutem et sapientiam.*

V. 42—46. *Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis,* comparatio a pugnantibus desumpta: aliorum vitia carpimus, sed etiam illi carpunt vitia nostra. Cf. Hor. Ep. II. 2, 97—98:

> Cædimus et totidem plagis consumimus hostem
> Lento Samnites ad lumina prima duello.

— *præbemus crura sagittis,* quia superiorem corporis partem lorica et scutum defendunt. — *Vivitur hoc pacto*; cf. Hor. Sat. II. 8, 65: «Hæc est condicio vivendi», Sat. I. 9, 48: «isto non vivitur illic, Quo tu rere, modo». — *sic novimus,* talem esse vitam cotidiano usu docemur. — *Ilia subter,* in imo ventre, loco periculosissimo — *Cæcum vulnus,* vulnus occultum, quod nemo potest videre; cf. Lucr. IV. 1120: «Usque adeo incerti tabescunt vulnere cæco»; Ov. Her. IV. 20: «et cæcum pectora vulnus habent». — *sed lato balteus auro Prætegit;* cf. Verg. Aen. V. 312: «lato quam circumplectitur auro Balteus». et Aen. XII. 275—276: «Horum unum ad medium, teritur qua sutilis auro Balteus... transadigit costas». — *Ut mavis,* cf. Hor. Sat. I. 4, 19—26: «At tu conclusas hircinis follibus auras... Ut mavis, imitare». — *da verba,* falle; cf. III. 19: «Cui verba?» — *decipe nervos,* supple: tuos, qui dolorem sentiunt, etiam si vulnera occultas. — *Si potes;* ut ille, qui vulnus balteo prætegit, occultare id quidem potest, sed dolorem nihilominus sentit, ita tu, qui vitia tua occultas, externa specie falles fortasse alios, sed te ipsum, etiamsi volueris, non poteris: torquebit enim te conscientia tua. Cf. Hor. Ep. I. 16, 24: «Stultorum incurata pudor malus ulcera celat».

V. 46—50. *Egregium cum me vicinia dicat, Non credam?* Cum homines, quibuscum vivo, me egregium virum putent, ego non putem? — *egregium... vicinia dicat;* cf. Hor. Sat. II. 5, 105—106: «funus Egregie factum laudat vicinia». — *Non credam?* Cf. Hor. Ep. I. 16, 19—23:

> Tu recte vivis, si curas esse, quod audis...
> Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi, credas,
> Neve putes alium sapiente bonoque beatum,
> Neu, si te populus sanum recteque valentem

Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules;

Dionys. Cat. Dist. I. 14:

Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento,
Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli;

Senec. Ep. 59, 11: «Illud præcipue impedit, quod cito nobis placemus: si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus... Optimos nos esse, sapientissimos adfirmantibus adsentimur, cum sciamus illos sæpe multa mentiri; id. Ep. 80, 9: «Intus te ipse considera. Nunc qualis sis, aliis credis». — *Viso si palles, improbe, nummo,* si avarus es; cf. III. 109: «visa est si forte pecunia»; Hor. Sat. II. 3, 78: «Ambitione mala aut argenti pallet amore». *Palles* quasi morbo, quia avaritia est πάθος, morbus mentis; cf. adnotationem ad III. 109: «visa est si forte pecunia» et Hor. Sat. II. 3, 80. ubi de affectibus (τὰ πάθη) legitur: «Aut alio mentis morbo calet». — *Si facis, in penem quidquid tibi venit amarum,* si libidinosus es. — *penem... tibi venit,* iocose dictum ad normam locutionis *in mentem mihi venit:* tu non id facis, quod in mentem, sed, quod in penem tibi venit, nam non mens, sed turpissima corporis pars est dux tuæ vitæ. Similiter dicitur: loqui, quidquid *in buccam venit;* cf. Cic. ad Att. I. 12, 4; 7, 10; XIV. 7, 2; Senec. Apocol. 1, 2; Mart. XII. 24, 5. — *amarum,* quid *penis amarus* sibi velit, explicatur collatione Horatii, qui de mœcho (Sat. I. 2, 68—71.) dicit:

Huic si mutonis verbis mala tanta videnti
Diceret hæc animus: «Quid vis tibi? Numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum
Velatumque stola, *mea* cum *conferbuit ira*»

ubi *ira* respondet Græcorum ὀργῇ. quæ non solum iram, sed quemvis vehementiorem animi motum significat. Tamen, quia Horatius peni *iram* tribuit, Persius, imitator eius diligentissimus, poterat penem *iracundum* dicere; ab *iracundo* autem facilis est transitus ad *amarum,* quod usurpatur de iis, qui facile irascuntur, et idem fere significat, quod Hungarice *ingerlékeny,* Germanice *reizbar.* Cf. Cic. ad Att. XIV. 21: «*amariorem* me senectus facit: stomachor omnia»; Ter. Hec. IV. 4, 88: «*amaræ* mulieres sunt, non facile hæc ferunt»; Senec. De ira I. 4: «Iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse. Cetera, quæ pluribus apud Græcos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, præteribo, etiamsi *amarum* nos acerbumque dicimus nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum, quæ omnia *irarum differentiæ* sunt». *Amarus* igitur hoc loco est *irritabilis,* epitheton sane aptum libidinosis, qui facile irritantur cupiditate amatoria. — *Si puteal multa cautus vibice flagellas,* si fenus iniustum exerces. — *puteal,* puteal Scribonii Libonis, in foro, de quo scholia: «Feneratores ad puteal Scribonii Libonis, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant». Cf. Cic. Sest. VIII. 18. de Gabinio: «*puteali* et feneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllæo illo æris alieni tamquam in freto ad columnam adhæresceret, in tribunatus portum perfugerat»; Ovid. Rem. 561—562. de obærato:

Qui puteal Ianumque timet celeresque Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua summa sui.

— *puteal... flagellas,* si debitoribus ad puteal venientibus multa quasi vulnera infligis gravissimas usuras ab iis exigendo. Metaphoram poeta e scriptis iurisconsultorum sum-

psit, aqud quos occurrit: *infligere alicui usuras,* cum proprie dicatur *plaga* aut *vulnus infligi.* Hoc loco igitur *vibix* significat usuras, *flagellare* ponitur pro *infligere.* Cf. Paul. Dig. 22, 1, 11: «graviores usuras infligere»; Iulian. Dig. 3, 5, 30: «Infligere alicui pretium rei emptæ» i. e. imponere onus solvendi pretii. — *cautus,* quia feneratores summam cautelam adhibebant, ne pecuniam suam perdant. Cf. Hor. Ep. II. 1, 105: «*Cautos* nominibus rectis expendere nummos». — *vibice* ponitur propter sequens *flagellas;* est enim vibix vulnus flagello inflictum. — *Nequiquam populo bibulas donaveris aures,* frustra tam libenter audies laudes populi. — *bibulas... aures,* quibus laudem avide bibis; aures laudis bibulas. Cf. locutiones: auribus aliquid bibere vel haurire; Hor. Carm. II. 13, 30—32: «sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum umeris bibit aure volgus». — *donaveris aures,* insolentius dictum pro: aures dare, commodare, præbere alicui.

V. 51—52. *Respue, quod non es;* repudia laudes, quas non meruisti; noli vir egregius vocari, si revera non es egregius. — *tollat sua munera cerdo,* sibi habeant laudes homines de plebe, qui tibi blandiuntur. — *tollat,* auferat. — *sua munera,* laudes, adulationes; cf. Hor. Ep. I. 16, 31—35:

> . . . «Nempe
> Vir bonus ac prudens dici delector ego ac tu».
> Qui dedit hoc hodie, cras si volet, auferet, ut, si
> Detulerit fascis indigno, detrahet idem.
> «Pone, meum est» inquit: pono tristisque recedo.

Apud Horatium igitur laus populi est quasi *honor* a populo alicui delatus, apud Persium *donum.* — *cerdo,* de hac voce optime disputavit *Buecheler* (Juvenal. ed. Friedländer, I. p. 255.): «Der Name Κέρδων kam in Athen den Arbeitsleuten,

ἐργάται, zu, dann auch Sklaven (bei Demosth. p. 1852, 27. ein zum ἐργάζεσθαι gehaltener Sklave; Cerdo als Sklavenname Digg. XXXVIII. 1, 42); von Freien Euphronius (Meineke Fr. com. IV. 493): Δρόμωνα καὶ Κέρδωνα καὶ Σωτηρίδην (gewöhnliche Leute). Herondas Mimiamb. 6. u. 7. verwendet ihn als nom. propr. für den Schuster, wie in Rom Martial (III. 16, 1; 59, 1.) als Appellativum. Es ist eben eine typische Bezeichnung, wie wir den «Banausen» angenommen haben, für den auf die Nothdurft des Lebens, den kleinen Gewinn gerichteten Handwerker oder Arbeiter, wohl durch die Philosophen in verächtlichem Sinn eingebürgert, wie wir von Schuster und Schneider sprechen». Apud Romanos igitur *cerdones* appellabantur homines vilis condicionis, unde etiam apud Persium hominem de plebe significat. Cf. Juv. IV. 153—154. de Domitiano:

> Sed periit, postquam *cerdonibus* esse timendus
> Cœperat. Hoc nocuit *Lamiarum* cæde madenti

et VIII. 181—182:

> At vos, Troiugenæ, vobis ignoscitis et quæ
> Turpia *cerdoni,* Volesos Brutumque decebunt.

— *Tecum habita,* descende in te (cf. supra vs. 23), ut te ipsum cognoscas. Cf. Hor. Sat. II. 7, 112—113:

> Non horam tecum esse potes, non otia recte
> Ponere teque ipsum vitas fugitivus et erro.

— *noris,* videbis. — *quam sit tibi curta supellex,* comparatio ab habitando desumpta: quam multa tibi desint ad perfectam virtutem et sapientiam. — *curta,* curtum est, unde aliquid deest; cf. Hor. Carm. III. 14, 64. «Curtæ nescio quid semper abest rei».

SATIRA V.

Ad Cornutum de vera libertate.

Exordium (v. 1—29.) *Poeta initio satiræ tangit morem vatum, qui, cum carmen exordiuntur, centum sibi voces poscere solent. Quare Cornutus, magister eius, mirabundus ex eo quærit, quid tandem magnum sit, quod incipiat, et tanto hiatu dignum; tragicos et epicos os magna sonans decere, non satirarum scriptorem. Cui poeta respondet id, quod iam acturus sit, dignum esse, quod omnibus viribus prædicet. Suum enim erga Cornutum amorem et, quantum ei debeat, gratissimo animo se profiteri velle.**

V. 1—4. *Vatibus hic mos est;* cf. Hor. Sat. I. 2, 86: «Regibus hic mos est.» — *centum sibi poscere voces, Centum ora et linguas optare in carmina centum;* quod poetæ epici faciunt, cum ad maiora accinguntur, inde ab Homero; cf. Hom. Il. II. 489: Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλώσσαι, δέκα δὲ στόμα.' εἶεν; Hostius apud Macrob. Sat. VI. 3, 6: «Non si mihi linguæ Centum atque ora sient totidem vocesque liquatæ»; Verg. Ge. II. 43—44. et Aen. VI. 625—626: «Non mihi si linguæ centum sint oraque centum, Ferrea vox». — *Fabula,* drama, hoc loco tragœdia. — *maesto . . . tragoedo,* quia tragœdiæ propria est maestitia. — *ponatur,* quasi cibus,

* In argumento huius satiræ enarrando, mutatis mutandis, Jahnium sum secutus.

qui convivis apponitur, Hungarice *feltálalni*, Germanice *auftischen;* cf. I. 53: «Calidum scis ponere sumen» et adnotationem ad h. l. — *hianda*, magno oris hiatu pronuntianda; personæ tragicæ magnum oris hiatum habebant, unde tragœdi semper hiare videbantur. *Fabulam hiare*, ut Prop. II. 31, 5—6:

> Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
> Marmoreus tacita *carmen hiare* lyra.

— *Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum*, imitatur Hor. Sat. II. 1, 13—15:

> . . . neque enim quivis horrentia pilis
> Agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos
> Aut labentis equo describit volnera Parthi.

Intellegendum de carmine epico; nam poetæ epici Romani solebant Romanorum cum Parthis bella describere. — *ducentis ab inguine ferrum*, qui ferrum, quo vulneratus est, inguine educit. Cf. Verg. Aen. X. 744: «eduxit corpore telum», ibid. X. 486—487:

> Ille rapit calidum frustra de volnere telum:
> Una eademque via sanguis animusque sequuntur.

— *ducentis*, ducere pro: educere, ut Sil. It. VIII. 342: «vagina ducitur ensis»; Verg. Aen. XII. 378: «auxilium ducto mucrone petebat.» — *inguine*, loco periculoso, ut IV. 43—44: «Ilia subter Cæcum vulnus habes».

V. 5—6. *Quorsum* etc.; vss. 5—18. verba Cornuti mirantis, cur Persius, satirarum scriptor, epicam gravitatem imitetur. — *Quorsum hæc?* cf. Hor. Sat. II. 7, 21: «Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant?» — *quantas robusti carminis offas Ingeris, ut par sit centeno gut-*

ture niti; quantas robusti carminis, quasi cibi, offas vis nobis ingerere, ut te centum gutturibus niti oporteat. Poeta continuat metaphoram de cibo vs. 3. *(fabula . . . ponatur)* inceptam. — *robusti carminis*, robustum carmen appellat epos aut tragœdiam, quibus magna vis poetica inest, ut robustus appellatur cibus, qui multum alimentum in se continet. Cf. Cels. De med. II. 18: «Inter domesticos vero quadrupedes levissima suilla est, gravissima bubula; itemque ex feris, quo maius quodque animal, eo *robustior* ex eo cibus est.» — *offas*, cf. Fest. s. v. *Poenitam* (p. 314. ed. Thewrewk): «antiqui . . . offam vocabant abscisum globi forma, ut manu glomeratam pultem». — *Ingeris*, nobis obiicis; cf. infra vss. 177—178: «cicer ingere large Rixanti populo». — *centeno gutture*, pro centum gutturibus, ut Verg. Aen. X. 207: «centena arbore» pro centum arboribus. — *niti*, quasi parturire; cf. Ov. Met. IX. 302—303. de Alcmene parturiente: «*Nitor* et ingrato facio convicia demens Vana Jovi» et Hor. A. P. 139. de poeta magno ore carmen incipiente: «Parturient montes, nascetur ridiculus mus».

V. 7—9. *Grande locuturi*, poetæ grandiloqui, epici et tragici; cf. adnotationem ad I. 1. 14: «Grande aliquid.» — *nebulas Helicone legunto*, grandiloquo dicendi genere utantur; imitatur Horatium, qui (A. P. 230.) de auctore fabularum Satyricarum dicit: «Aut dum vitat humum, nubes et inania captet». — *Helicone*, in monte Musarum, unde Persius se prol. 4. exclusit. — *Si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestæ*, fabulæ notissimæ a poetis tragicis sæpissime tractatæ. *Tereum* et *Atreum* Sophocles, *Thyesten* Euripides scripsit. Inter tragœdias Romanas celeberrima erat Varii *Thyestes;* exstat nobis *Thyestes* Senecæ. Cf. Hor. A. P. 187: «Aut in avem Procne vertatur»; Juv. VI. 643—644: «Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva Dici-

tur et Procne». Utrumque argumentum suo etiam tempore a poetis tractatum esse docet Juv. VII. 12: «Alcithoen Pacci, Thebas et *Terea* Fausti» et VII. 71—73 «poscimus, ut sit Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno, Cuius et alveolos et lænam pignerat *Atreus*». — *Procnes ... olla*, in qua Procne Ityn coxit. Procne, uxor Terei, dolens ob stuprum sororis, quæ a Tereo erat compressa, filium suum, Ityn, occidit patrique epulandum apposuit. Totam fabulam vide Ov. Met. VI. 424—674. — *olla Thyestæ*, in qua Atreus Thyestis filios coxit: Cf. scholia: «Atreus Thyestis fratris filios interfecit, propterea quod eius uxoris adulterio utebatur, et ei de filiis suis epulas præparavit»; Hor. A. P. 91: «cena Thyestæ.» — *sæpe insulso cenanda Glyconi*, quia Glycon tragœdus partes Terei et Thyestæ agebat. — *insulso ... Glyconi*, de Glycone præter tradita a scholiastis nihil notum est. Cf. scholia: «Hic Glycon tragœdus fuit Neronis temporibus ... Glycon tragœdus populo mire placuit et ideo a Nerone manumissus est datis Vergilio tragœdo, domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiis trecentis milibus». Sed hæc omnia parum certa nituntur fide.

V. 10—13. *Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, Folle premis ventos*, tu non conaris magnum spiritum poeticum ostendere. Imitatur Horatium, qui Sat. I. 4, 19—21. de poeta ingentem spiritum affectante dicit:

> At tu conclusas hircinis follibus auras,
> Usque laborantis, dum ferrum molliat ignis,
> Ut mavis, imitare.

— *anhelanti ... Folle*, sensu translato de ingenti poetæ spiritu. — *massa*, ferrum in caminò fervens; cf. adnotationem ad II. 67: «Ferventis massæ.» — *premis ventos*, follem premis, ut ventum collectum cum anhelitu emittat. —

nec clauso murmure raucus Nescio quid tecum grave cornicaris inepte, nec murmure suppresso tecum loquendo speciem hominis in gravissimis cogitationibus defixi ostendere conaris. — *clauso murmure*, murmure suppresso, quod vix erumpit ex ore; murmurare enim solent ii, qui in cogitationibus defixi sunt. Cf. III. 81—82. de philosophis: «Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt Atque exporrecto trutinantur verba labello»; Quint. Inst. Or. X. 3, 15: «si non . . . cogitationem murmure agitantes exspectaverimus.» — *raucus . . . tecum . . . cornicaris*, tecum loqueris rauca voce, quæ voci cornicum similis est. *Cornicaris* est verbum novum, ut scholia affirmant, a Persio fictum; occurrit etiam apud imitatorem eius, Hieronym. Ep. 125, 16. Derivatum a cornice significat vocem raucæ cornicis voci similem. Apud Græcos κρώζειν usurpatur de cornice et de hominibus rauca voca loquentibus. Cf. Lucr. VI. 751: «raucæ Cornices»; Ov. Met. V. 678. de cornice: «Raucaque garrulitas studiumque immane loquendi». — *Nescio quid . . . grave*, res quasdam graves. — *Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas*, non vis tumido ore loqui, non uteris tumido dicendi genere. *Tumidum os* tragœdiæ proprium esse docemur Hor. A. P. 93—95:

> Interdum tamen et vocem comœdia tollit
> Iratusque Chremes *tumido* delitigat ore;
> Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

— *scloppo* habent optimi codices; *stloppo* deteriores; vox apud Persium solum occurrit. Cf. scholia: «*Stloppo* dixit metaphoricos a ludentibus pueris, qui buccas inflatas subito aperiunt et totum simul flatum cum sonitu fundunt». *Sclop-pus igitur sive stloppus* hunc sonitum significat. — *tumidas . . . rumpere buccas*, quia buccæ tumidæ, tamquam vesica

inflata, subito sono rumpi videntur. — *intendis*, conaris; cf. adnotationem ad II. 49: «Intendit.» — *buccas*, cf. Juv. VI. 33—34:

. . . dic tibi, qui sis,
Orator vehemens, aut Curtius et Matho *buccæ*

ubi poeta *buccas* appellat oratores malos, quia, ut scholiasta dicit ad h. l., «tantum buccas inflant et nihil dicunt».

V. 14—16. *Verba togæ sequeris, iunctura callidus acri;* uteris verbis usitatis, quibus callida iunctura novitatem quandam commodas; imitatur Hor. A. P. 47—48:

Dixeris egregie, *notum* si *callida verbum*
Reddiderit iunctura novum

et 240—244:

Ex *noto* fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series *iuncturaque* pollet,
Tantum de medio sumptis accedet honoris;

cf. Kiesslingii adnotationem ad vs. 48: «Es ist eine auserlesene Feinheit durch raffinirte, scheinbar harmlose, Verbindung, *iunctura*, alltäglichen Worten das Gepräge der Neuheit zu geben». — *Verba togæ*, idem significat, quod apud Horatium locis laudatis *verbum notum* et *de medio sumptum*. Nam *verba togæ* referenda sunt ad fabulas togatas sive tabernarias, comœdias humiliore dicendi genere compositas, quæ sæpius opponuntur fabulis prætextatis altiore stilo scriptis. Cf. Diomed. p. 489. K. de fabulis tabernariis: «Et humilitate personarum et argumentorum similitudine comœdiæ pares, in quibus non magistratus regesve, sed humiles homines et privatæ domus inducuntur,

quæ quidem olim, quod tabulis tegerentur, communiter tabernæ vocabantur». Ad fabulam tabernariam referenda sunt etiam Hor. A. P. 227—229:

> Ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
> Regali conspectus in auro nuper et ostro,
> Migret in obscuras *humili sermone tabernas.*

— *iunctura . . . acri*, ingeniosa iunctura; *acre* enim hoc loco ad aciem ingenii, ad acre ingenium est referendum. — *ore teres modico*, de scriptore, qui temperato dicendi genere utitur et ob eam causam teres est, i. e. neque tumidus neque sine nervis et viribus; *teres* enim proprie dicitur corpus, quod a macie et a pinguedine pariter remotum iustum modum implet. Cf. Hor. A. P. 323—324: «Grais ingenium, Grais dedit *ore rotundo* Musa loqui»; Cic. De or. III. 52, 199: «Est (oratio) et plena quidem, sed tamen teres.» — *ore . . . modico*, ut scriptorem satirarum decet; non ore magno, ut epici. Cf. Verg. Ge. III. 294: «Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.» — *pallentis . . . mores*, mores quasi morbo pallentes, mores vitiosi. Vitia enim sunt morbi animi; cf. adnotationes ad IV. 47: «viso si palles» et III. 109: «visa est.» — *radere*, pro: insectari, carpere; cf. I. 107—108: «Sed quid opus teneras mordaci *radere* vero Auriculas», III. 113—114: «tenero latet ulcus in ore Putre, quod haud deceat plebeia radere beta». *Radere* cum *doctus* iungendum; de usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis». — *ingenuo culpam defigere ludo*; satiram significat, cui propositum est (Hor. Sat. I. 1, 24): «ridentem dicere verum», vitia hominum per lusum notare. Alludit ad venationes in circo, ubi gladiatores, venatores appellati, feras telis figebant; quare satiram *ludum* nominat, sed *ingenuum*, libero

homine dignum, non gladiatorium, i. e. servilem. Poesin suam cum ludo gladiatorio comparavit iam Hor. Ep. I. 1. 1—3: «Prima dicte mihi, summa dicende Camena, Spectatum satis et donatum iam rude quæris, Mæcenas, iterum antiquo me includere *ludo.*» — *culpam defigere*, culpam satiris, tamquam telis, ferire. Usitatius est tali sensu *figere*. ut Verg. Ecl. II. 29: «figere cervos», Ge. I. 308: «figere dammas», Aen. VI. 802: «fixerit æripedem cervam.»

V. 17—18. *Hinc trahe, quæ dicis*, mores hominum in vita cotidiana observati argumentum præbeant carminibus tuis. Cf. Hor. A. P. 317—318:

> Respicere exemplar vitæ morumque iubebo
> Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.

— *mensasque relinque Mycenis*, noli argumenta tragica tractare. — *mensasque*, epulas; intellegendum de *olla Thyestæ* (vs. 8.) — *Mycenis*, quia in hac urbe Atreus filios Thyestis epulandos patri dedit. — *cum capite et pedibus*, quæ Thyestæ, postquam pueros comedit, afferebantur, ut filios agnosceret. Cf. de hac re Aesch. Agam. 1594: Τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας Ἔθρυπτ' ἄνωθεν; Senec. Thyest. 764: «Tantum ora servat et datas fidei manus.» — *plebeiaque prandia*, noli epulas tragicas regum tractare, sed ex vita cotidiana argumentum petas. — *noris*, coniunctivus imperativi loco, quia *novi* propria imperativi forma caret.

V. 19—20. *Non equidem* etc.; poeta respondet Cornuto. — *hoc studeo*, cum accusativo neutrius generis, ut Cic. Phil. VI. 7: «Unum sentitis omnes, unum studetis»; Ter. Heaut. II. 4, 1: «Edepol te laudo, *id* tu quom studuisti, formæ ut mores consimiles forent.» — *pullatis ut mihi nugis Pagina turgescat*, ut liber meus plenus sit fabulis luctuosis, quales tragici tractare solent. — *pullatis*...

nugis, hoc loco *pullatus* luctuosum significat; *pullatus* enim est, qui propter luctum pulla veste est indutus. Cf. Juv. III. 212—213:

> Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater,
> *Pullati* proceres, differt vadimonia prætor;

Sidon. Ap. Ep. 5, 7: «Incedunt albati ad exsequias, *pullati* ad nuptias». *Nugæ* contemptim de fabulis fictis tragicorum. — *Pagina,* pro libro, ut Mart. I. 4, 8: «Lasciva est nobis pagina, vita proba.» — *turgescat,* ita plena sit, ut turgescat; cf. Enn. fr. apud Prisc. IX. 870:

> Cyclopis venter vel ut olim *turserat* alte
> Carnibus humanis distentus,

et apud Persium ipsum V. 183: «tumet alba fidelia vino.» — *dare pondus idonea fumo,* quæ magna cum gravitate tractet res levissimas. *Fumus* est exemplum rei nullius ponderis, unde illi, qui alios fallunt, vetere proverbio *fumum vendere* dicuntur; cf. Mart. IV. 5, 7.; Apul. Apol. 60. Lamprid. Alex. Sev. 36, 2. — *dare pondus . . . fumo;* cf. Hor. Ep. I. 19, 41—42: «spissis indigna theatris Scripta pudet recitare et nugis addere pondus.» — *dare . . . idonea;* cf. Hor. Ep. I. 16, 12: «Fons . . . rivo dare nomen idoneus».

V. 21—25. *Secrete loquimur,* ad te, Cornute, non ad populum scribo. — *Secrete.* rarius occurrit pro: *secreto.* Codices deteriores habent: *secreti.* — *hortante Camena,* instinctu Musarum, ut poetæ. — *Excutienda damus præcordia,* pectus meum investigandum tibi præbeo. *Excutere,* ut I. 49: «Nam *belle* hoc excute totum»; cf. adnotationem ad h. l. *Præcordia* sæpissime apud poetas pro: pectore, corde, animo; cf. I. 117: «circum præcordia ludit» et adnotationem ad h. l. — *quantaque nostræ Pars tua sit . . .*

animæ; vide scholia: «Sententia a Pythagora tracta, ille enim interrogatus, quid esset amicus, respondit, quæ Horatius sic posuit (Carm. I, 3, 9.): «Et serves animæ dimidium meæ». Persius autem, ut aliquid novaret, permisit Cornuto æstimare, quantam vellet propriæ animæ partem suam dicere». Cf. Hor. Carm. II. 17, 5: «Te meæ partem animæ»; Ov. Met. VIII. 406: «Pars animæ... meæ», Ep. ex Pont. III. 4, 69: «Magnaque pars animæ mecum vixistis, amici». — *Cornute,* recte scholia: «Ad Annæum Cornutum philosophum, egregium virum, quia eius auditor fuit, loquitur». Plura de Cornuto vide in Vita Persii de commentario Probi Valerii sublata. — *dulcis amice,* cf. Hor. Ep. I. 7, 12: «te, dulcis amice, reviset.» — *ostendisse,* pro: ostendere; de usu inf. perf. cf. adnotationem ad I. 47: «os populi meruisse.» — *pulsa dinoscere cautus, Quid solidum crepet et pictæ tectoria linguæ,* investiga animum meum tu, qui veros animi affectus a simulatione discernere scis. — *pulsa,* percute (κροῦσιν) pectus meum. Solent enim emptores vasa et architecti muros percutiendo explorare; cf. III. 21: «sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo» et adnotationes ad h. l. — *dinoscere cautus,* qui caute dinoscis; cf. Hor. Sat. I. 6, 51: «Præsertim cautum dignos adsumere». De usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *dinoscere . . . Quid solidum crepet et pictæ tectoria linguæ,* id, quod solidum crepat, a tectoriis pictæ linguæ dinoscere; cf. Juv. X. 2—3: «Pauci dinoscere possunt Vera bona atque illis multum diversa». Quod ad rem ipsam attinet, locum optime explanavit Jahn (p. 185. ed. mai.): «Parietes opere latericio constructi *tectorio* operiebantur, quod levigatum et pictum lapidem simulabat, quare *solido* opponitur, quod totum lapideum est, non superficiem tantum monstrat. Cf. Frontin. expos.

form. p. 31. Gœs.: «Planum est . . . in quo longitudinem et latitudinem habeamus, per quæ etiam . . . opera tectoria, inauraturas, tabulas et his similia. *Solidum* est . . . cuius longitudinem et latitudinem et crassitudinem metimur, ut parietum structuras». Itaque omnia, quæ ad superficiem illinebantur, tectoria vocantur, ut medicamina faciei apud Juven. VI. 467. Iam vero pulsu facile potest dignosci, utrum paries e lapide factus an tectorio superinducto ornatus sit.» — *solidum crepet, crepare* cum accusativo, ut III. 21: «sonat vitium», V. 106: «Ne qua subærato mendosum tinniat auro»; cf. Lucr. III. 873: «sincerum sonere»; Hor. Sat. II. 3, 33: «Si quid Stertinius veri crepat». Persium imitatus est Auson. Id. XVI. 12:

> Sit solidum, quodcumque subest, nec inania subter
> Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

— *pictæ tectoria linguæ*, ἐναλλαγὴ ἐπιθέτων pro: picta tectoria linguæ; tectorium enim parietum erat pictum. *Tectoria linguæ* sunt verba simulata, veros animi affectus tegentia.

V. 26—29. *Hic*, in hac re, ut Verg. Ge. II. 45: «non hic te carmine ficto Atque per ambages et longa exorsa tenebo»; Sall. Cat. 52, 11: «Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat.» — *centenas . . . fauces*, ut supra (vs. 6.) *centeno gutture*, pro: centum; cf. adnotationem ad h. l. et Prop. III. 22, 16: «septenas temperat unda vias.» — *ausim*, coniunct. syncop., ut Hor. Sat. I. 10, 48—49: «neque ego illi detrahere *ausim* Hærentem capiti multa cum laude coronam.» — *quantum mihi te sinuoso in pectore fixi*, quantopere amorem tuum in pectus recepi. — *quantum*, quantopere, ut Verg. Aen. II. 273—274: «Heu mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore.» — *sinuoso in pectore*, in pectore intimo;

sinus enim hoc loco, ut II. 73: «recessus Mentis», intimam animi partem significat. Cf. Plin. Paneg. 56: «Consulatus gestus in hoc urbis otio et intimo sinu pacis»; Sall. Cat. 56: «Intra mœnia, in sinu urbis sunt hostes.» — *fixi*, indicativus in interrogatione indirecta, ut III. 67. sqq. — *Voce traham*, sc. de pectore; cf. Verg. Aen. I. 37, 1: «imoque trahens de pectore vocem». — *Voce . . . pura*, verbis simplicibus et sinceris; cf. Cic. Or. 16: «Elaborant alii in lenitate et æquabilitate et *puro* quasi quodam et candido genere dicendi»; Plin. Ep. VII. 9: «Pressus sermo purusque ex epistolis petitur»; Hor. Sat. I. 4, 54: «Non satis est puris versum perscribere verbis.» — *resignent*, aperiant; *resignare* enim proprie significat sigillo soluto litteras aut tabellas aperire. Cf. Ov. Fast. VI. 535: «Nunc, ait, o vates, venientia fata resigna.» — *non enarrabile*, cf. Verg. Aen. VIII. 625: «clipei non enarrabile textum.» — *arcana . . . fibra*, in pectore intimo; cf. I. 47: «cornea fibra» et adnotationem ad h. l.

Exordium (v. 30—51.) *Poeta, cum e pueritia excessit, ea ætate, qua iuvenes facillime in vitia incurrunt, se disciplinæ Cornuti tradidit et ab eo philosophia Stoica imbutus est. Unde tanta inter eum et Cornutum concordia est, ut nemini dubium esse possit, quin communi quodam sidere vita eorum regatur.*

V. 30—33. *Cum primum pavido custos mihi purpura cessit.* postquam togam prætextam deposui, postquam pueritiam egressus sum. — *pavido*, recte scholia: «pavido ait timenti, quod sub metu pædagogorum prætextati sunt.» — *custos . . . purpura*, hoc loco *purpura* est toga prætexta puerorum ingenuorum, ut apud Juv. XI. 155: «Quales esse decet, quos ardens *purpura* vestit». Cf. Stat. Silv. V. 2, 66: «ostrum puetile», V. 3, 117—119: «te divite ritu Ponere

purpureos infantia adegit amictus Stirpis honore datos». Toga prætexta est puerorum custos, quia pueritiam, ut Quintilianus ait, sacram et venerabilem facit; cf. Quint. Decl. 340. (p. 345. Ritter): «Sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus ac venerabilem»; Plin. N. H. IX. 127. de purpura: «Fasces huic securesque Romanæ viam faciunt idemque pro maiestate pueritiæ est». — *Bullaque succinctis Laribus donata pependit*, cum pueri toga prætexta deposita virilem sumebant, bullam Laribus sacrabant; cf. Petron. 60, 8: «Lares bullati». Simili more virgines adultæ pupas Veneri donabant; vide adnotationem ad II. 70: «donatæ a virgine pupæ». Cf. Prop. III. 1, 131—132:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris et ante deos libera sumpta toga est.

— *Bullaque*, bulla erat capsula, quæ varia ad fascinum arcendum continebat. Eam pueri de collo pendentem gestabant usque ad pubertatis annum. Cf. Paul. Fest. s. v. (p. 26. ed. Thewrewk): «Bulla aurea insigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis a pectore.» — *succinctis Laribus*, quia statuæ Larum tunica in altum succincta formabantur; cf. Ov. Fast. II. 634: «Nutriat *incinctos* missa patella Lares» et scholia ad hunc Persii locum: «quia Gabino cinctu di Penates formabantur.» — *Laribus donata*, quia parvi pueri in tutela Larum erant; cf. Tib. I. 10, 15—16:

Sed patrii servate Lares; aluistis et idem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.

— *pependit*, sc. in ædicula Larum. Cf. Petron. 29: «Præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædicula erant

Lares argentei positi». — *Cum blandi comites,* supple: sunt; comites, magistri et rectores («cf. adnotationem ad III. 7: «Unus ait comitum»), qui puerum sub severa custodia tenent, iuveni iam adulto blandi esse solent. — *totaque ... Subura,* vicus Romæ meretricibus infamis (cf. Mart. VI. 66, 2; XI. 61, 3; 78, 11), iuvenibus præcipue periculolus. — *Permisit ... candidus umbo,* toga virilis maiorem libertatem iuvenibus dedit, unde etiam *toga libera* appellabatur et sæpissime Liberalibus, festo Bacchi, iuvenibus dabatur; cf. Prop. III. 1, 132: «libera sumpta toga» et III. 15, 3—4: «Ut mihi prætexti pudor est ablatus amictus Et data libertas noscere amoris iter»; Ov. Fast. III. 771—772:

> Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
> Lucifero pueris, candide Bacche, tuo

et 777—778:

> Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te
> Sumitur et vitæ liberioris iter.

— *sparsisse oculos,* circumferre oculos; cf. Val. Flac. V. 297: «tua nunc terris, tua lumina toto *Sparge* mari». *Sparsisse* pro: spargere; de hoc inf. perf. usu cf. adnotationem ad I. 41: «os populi meruisse.» — *candidus umbo,* toga candida sive virilis; *umbonem* appellabant partem togæ rugosam in pectore; cf. Tertull. de pall. 5: «Nec artifice opus est, qui pridie rugas ab exordio formet et inde deducat in tilias, totumque contracti *umbonis* figmentum custodibus forcipibus adsignet». Recte scholia: «Candidus umbo synecdochicos pro toga. Alioquin et in prætexta candidus umbo est». De libertate togæ candidæ cf. Catull. 68, 15—18:

> Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est,
> Iucundum cum ætas florida ver ageret,

Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

V. 34—37. *Cumque iter ambiguum est*, cf. adnotationem ad III. 56: «Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos.» — *vitæ nescius*, nondum experientia doctus. Cf. Hor. Ep. I. 3, 32—33. de iuvenibus: «Vos Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat.» — *error*, erratio, vagus discursus; dicuntur enim ii, qui sapientia carent, in vita sine certo fine vagari. Cf. Lucr. II. 7—10:

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrinæ sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios passimque videre
Errare atque viam palantis quærere vitæ

et Hor. Sat. III. 2, 48—53:

. . . velut silvis ubi passim
Palantis *error* certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error, sed variis inludit partibus, hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat.

— *trepidas . . . mentes*, animos incertos, anxios. — *ramosa in compita*, ubi plures viæ, quasi rami, ducunt et difficile est decernere, quænam via sit eligenda. — *Me tibi supposui*, non utebar libertate mihi nocitura, sed me tibi subieci, tibi in disciplinam tradidi. *Supponere* pro *subiicere*, ut Ov. Fast. I. 306: «Aetheraque ingenio supposuere suo», et Her. XVII. 119—120: «Credere vix equidem cælestia corpora possum Arbitrio formam supposuisse tuo». — *Teneros tu suscipis annos Socratico, Cornute, sinu*, tu me iuvenem

sanctissimo amore excepisti. — *Teneros . . . annos*, de iuventute, ut Ov. Trist. IV. 10, 33—34:

> Cepimus et teneræ primos ætatis honores
> Deque viris quondam pars tribus una fui.

— *Socratico . . . sinu*, sancto illo amore, quo Socrates iuvenes, præcipue Alcibiadem, amplexus est. Cf. Plat. Symp. p. 219. B. C. de Alcibiade puero in sinu Socratis dormiente (ipsa Alcibiadis verba): Ἀμφιέσας τὸ ἱμάτιον τὸ ἐμαυτοῦ τοῦτον — καὶ γὰρ ἦν χειμών — ὑπὸ τὸν τρίβωνα κατακλίνεις τὸν τούτου, περιβαλὼν τῶ χεῖρε τούτῳ τῷ δαιμονίῳ ὡς ἀληθῶς καὶ θαυμαστῷ κατεκείμην τὴν νύκτα ὅλην . . . εὖ γὰρ ἴστε, μὰ θεούς, μὰ θεάς, οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέστην ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθηῦδον ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου.

V. 37—40. *Tunc fallere sollers Adposita intortos extendit regula mores*, mores meos pravos philosophia tua paulatim correxisti. — *fallere sollers*, quæ sollerter fallit eum, qui corrigitur, ita, ut non animadvertat se corrigi. Recte scholia: «*Sollers fallere* ideo dixit, quia, cum stultis obrepatur, sapientes oportet recte cognoscere, ut ipsa emendatio lente ac sine tormento fiat, ne asperitatem doctrinæ in ipsis rudimentis non tolerantes impatienter ferant corrigi». *Sollers* cum infinitivo, ut VI. 24: «Nec tenuis sollers turdarum nosse salivas»; cf. Hor. Carm. IV. 6, 8: «Sollers nunc hominem ponere, nunc deum»; Ov. Am. II. 7, 17: «sollers ornare Cypassis». — *Adposita . . . regula*, de regula vide adnotationem ad IV. 12: «cum fallit pede regula varo». Regula adponitur lineæ curvæ et eius ope linea corrigitur, ut recta fiat. — *intortos . . . mores*, mores curvos, i. e. pravos; cf. III. 52: «curvos dependere mores» et IV. 11—12: «rectum discernis, ubi inter Curva subit» et adnotationes ad hos locos. — *extendit*, rectos fecit. — *Et pre-*

mitur ratione animus, subigitur animus ratione Stoicorum, philosophia Stoica. Cf. Cic. De fin. III. 4, 15: «habet hæc Stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius». Eandem significationem habet *ratio* infra vss. 96. et 119. — *vinci-que laborat*, animus ipse conatur ratione vinci, non recusat imperium rationis. Cf. Cic. Verr. III. 127: «Si sociis fidelissimis prospicere non laboratis»; Plin. Ep. I. 10, 2: «Amarique ab eo laboravi, etsi non erat laborandum». — *Artificemque tuo ducit sub pollice vultum*, metaphora a statuarum artificibus ducta, qui in fingendis e cera aut argilla signis pollice potissimum utuntur. Cf. Ov. Met. X. 284—286: «ut Hymettia sole Cera remollescit tractataque pollice multas Flectitur in facies»; Stat. Ach. I. 332.:

> Qualiter artifici victuræ pollice ceræ
> Accipiunt formas ignemque manumque sequuntur.

Eadem, qua Persius, translatione utitur Juv. VII. 237—238. de educatore puerorum:

> Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
> Ut si quis cera voltum facit.

— *Artificemque... vultum*, vultum artificiosum; *artifex* pro artificioso, ut Prop. II. 31, 8: «Quattuor artifices, vivida signa, boves»; Val. Flacc. VI. 406: «artifex forma»; Quint. Inst. Or. IX. 4, 8: «artifex motus.» — *ducit... vultum*. accipit vultum; cf. Ov. Met. I. 400—402:

> Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
> Ponere duritiem cœpere suumque rigorem
> Mollirique mora mollitaque *ducere formam*.

V. 41—44. *longos consumere soles*, soles pro: dies; imitatur Verg. Ecl. IX. 50—51: «sæpe ego *longos* Cantando

puerum *memini* me condere soles». Cf. Anth. Pal. VII. 80: ἡέλιον λέσχῃ κατεδόσαμεν. *Consumere* diem, ut Cic. De rep. VI. 9. 9: «Multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis consumptus est dies.» - - *primas epulis decerpere noctes*, primas horas de nocte epulis (abl. instr.) demere. — *primas . . . noctes*, primam partem, primas horas noctis; cf. Sil. It. IV. 138: «Dum primæ decus affectet decerpere pugnæ.» - *decerpere*, demere; cf. Cic. pro Marc. 2: «Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil cohors, nihil turma decerpit», Or. 2, 56: «Ne quid iocus de gravitate decerperet». Similiter dicit Hor. Carm. I. 1, 20: «partem solido demere de die». *Unum opus et requiem pariter disponimus*, unum opus nostrum et unam requiem nostram pariter disposuimus. Cf. Verg. Ge. IV. 184: «Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.» — *disponimus*, disponere diem significat ordinem rerum agendarum cotidie constituere; cf. Suet. Tib. 11: «Forte quondam in disponendo die mane prædixerat, quidquid ægrotum civitate esset, visitare se velle»; Plin. Ep. IX. 36, 1: «Quæris, quemadmodum in Tuscis diem æstate disponam». Ut Persius *requiem disponere*, ita Plinius *otium disponere* dixit; cf. Plin. Ep. IV. 23, 1: «Magnam cepi voluptatem, quum ex communibus amicis cognovi te, ut sapientia tua dignum est, otium disponere et ferre». — *verecunda . . . mensa*, epulis ab omni luxuria remotis, modicis. — *laxamus seria*, seria studia levamus; cf. Verg. Aen. IX. 224—225: «Cetera per terras omnes animalia somno Laxabant curas»; Liv. VI. 9, 9: «laxare laborem.» — *seria*, ut Hor. Sat. II. 2, 125: «Explicuit vino contractæ seria frontis».

V. 45—46. *Non equidem hoc dubites*, non dubites pro: noli dubitare, ut I. 5—6: «non . . . accedas.» — *equidem*, de usu huius coniunctionis vide adnotationem ad I. 110:

«per me equidem sint omnia protinus alba.» — *amborum foedere certo Consentire dies et ab uno sidere duci,* recte scholia: «Hoc secundum astrologos dicit, qui dicunt nativitates hominum in sideribus constare». Simili ratione explicavit iam Horatius suam cum Mæcenate amicitiam Carm. II. 17, 17—24, quos versus Persius hoc loco ante oculos habuit:

> Seu Libra seu me Scorpios aspicit
> Formidulosus, pars violentior
> Natalis horæ, seu tyrannus
> Hesperiæ Capricornus undæ:
>
> Utrumque nostrum incredibili modo
> Consentit astrum. Te Iovis impio
> Tutela Saturno refulgens
> Eripuit . . .

— *fœdere certo,* certa lege; cf. Verg. Aen. I. 62—63:

> Imposuit regemque dedit, qui fœdere certo
> Et premere et laxas sciret dare iussus habenas

et Ge. I. 60—61:

> Continuo has leges æternaque fœdera certis
> Imposuit natura locis;

Manil. Astr. II. 478. de astris: «Iunxit (sc. deus) amicitias horum (sc. astrorum) sub fœdere certo». — *Consentire dies et ab uno sidere duci,* dies amborum, i. e. dies natales, similes sunt, quia ambo sub uno sidere nati sumus. Cf. Hor. Carm. II. 17, 21—22: «Utrumque nostrum incredibili modo *Consentit* astrum». — *ab uno sidere duci,* originem cepisse ab uno sidere.

V. 47—51. *Nostra vel æquali suspendit tempora Libra Parca tenax veri,* fatum nos sub signo Libræ nasci iussit et ideo sumus tam boni amici. Ii enim, qui sub hoc signo nascuntur, astrologorum sententia boni amici sunt. Cf. Manil. Astr. II. 629—630:

> Quosque dabunt *Chelæ* Geminique et Aquarius ortus,
> Unum pectus habent fideique immobile vinclum;

Hor. Carm. II. 17, 15—18: «sic potenti Iustitiæ placitumque *Parcis:* Seu *Libra* seu me Scorpios adspicit Formidulosus». — *Nostra ... tempora,* nostros dies natales. — *æquali ... Libra,* quia Sol tempore æquinoctii autumnalis in signo Libræ est. Recte scholia: «Aequali libra, quia mensuræ vice fungitur in æquinoctio, ut Vergilius (Ge. I. 208): «Libra die somnique pares ubi fecerit horas». Videtur imitari Manil. Astr. IV. 547—548:

> Sed cum autumnales cœperunt surgere Chelæ,
> Felix *æquato* genitus sub *pondere* Libræ.

— *suspendit ... Parca,* locum rectissime explicavit Jahn: «Parca, quæ nascenti homini adfuit, eo tempore, quo astrologicis superstitionibus Roma repleta erat, ex motu astrorum unicuique fatum suum attribuere putabatur, quare in anaglyphis Romanis una Parcarum in globo cælesti horoscopum notare solet, ubi vel infanti recens nato (R. Rochette: Mon. Inéd. t. 77, 2), vel Prometheo hominem fingenti adstant (Mus. Capit. IV. t. 25), quod cum verbis Persii egregie concinit». — *tenax veri,* quia Parcæ, quæ fati stamina nent, futura vere prædicunt neque unquam falluntur; cf. Catull. 64, 320—322. de Parcis:

Hæ tum clarisona vellentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas;

Hor. Carm. Sæc. 25: «veraces cecinisse Parcæ», Carm. II. 16, 39: «Parca non mendax». *Tenax nuntia veri* occurrit apud Verg. Aen. IV. 188 (de Fama): «Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri». — *seu*, post præcedens *vel* insolenter usurpatum; cf. Verg. Catal. 5, 10 et 13: «*seu* furta dicantur tua... Vel acta puero cum viris convivia»; similiter *vel* et *aut* inter se respondent Prop. III. 21, 25—26:

Illic *vel* studiis animum emendare Platonis
Incipiam *aut* hortis, docte Epicure, tuis.

— *nata fidelibus hora*, hora, quæ nata (destinata) est amicis fidelibus gignendis, quæ amicos fideles gignit. Cf. Hor. A. P. 82: «natum rebus agendis» et solitas locutiones: natum esse ad aliquid vel alicui rei. — *Dividit in Geminos concordia fata duorum*, quia etiam ii, qui sub signo Geminorum nascuntur, boni amici sunt. Cf. Manil. Astr. II. 629—630. supra laud. et 631—632:

Magnus erit *Geminis* amor et concordia duplex,
Magnus et in multos veniet successus amicos.

— *in Geminos*, insolenter pro: inter Geminos. — *Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una*, in horoscopo nostro malignitatem Saturni felix Iovis stella radiatione sua mitigat. Erant enim astrologorum sententia stellæ partim malevolæ, partim benevolæ poteratque et malevolarum noxa radiatione benevolarum et benevolarum felicitas radiatione malevolarum imminui. Cf. Firm. Mat. Math. III. 2, 26: «Nam si sic posito Saturno benivola stella in quocunque

genituræ cardine fuerit inventa, hæc mala, quæ diximus, ex parte aliqua mitigantur»; ibid. III. 3, 1: «Nam si Iovem sic positum malivola stella contraria radiatione respexerit, totum, quidquid Iuppiter decreverit, ex maxima parte minuitur». — *Saturnumque gravem,* quia Saturni stella est malevola; cf. Hor. Carm. II. 17, 22: «te Iovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit»; Prop. IV. 1, 83—84:

Felicisque Iovis stellas Martisque rapacis
Et *grave* Saturni sidus in omne caput;

Juv. VI. 569—570: «quid sidus triste minetur Saturni»; Ov. Ib. 215—216; «Te fera nec quicquam placidum spondentia Martis Sidera presserunt *falciferique* senis». — *nostro Iove,* Iove nobis propitio; erat enim Iuppiter stella benevola. Cf. Prop. IV. 1, 83—84. supra laud. — *frangimus,* malignitatem eius debilitamus, mitigamus. Cf. Firm. Mat. Math. III. 2, 26. supra laud. — *Nescio quod certe est... astrum,* certe est aliquod astrum. Cf. Verg. Ecl. VIII. 106: «Nescioquid certe est». — *me tibi temperat,* me tecum quasi commiscet, id est: coniungit, me amicum tibi facit. *Tempero* cum dativo, ut *misceo.* — *temperat, astrum,* eadem verba in fine versus apud Hor. Ep. II. 2, 187: «Scit Genius, natale comes qui temperat astrum».

Pars prima (v. 52—72.) *Opponit veræ sapientiæ a Cornuto acceptæ vulgarem hominum vitam. Varia quidem sunt hominum studia, sed omnia philosophiæ ope destituta irrita sunt; quare plerisque, cum ad extremam vitæ partem pervenerunt, fatendum est se vitam perdidisse. Aliter Cornutus, qui iuvenes philosophiam docet, vivendi artem. Hoc igitur studium omnes, pueri senesque, agant neque differant, sed quam primum incipiant.*

V. 52—53. *Mille hominum species,* mille genera sunt

hominum. *Species* est in logica pars generis; cf. Cic. Top. 31. — *rerum discolor usus*, diversum est vitæ genus; cf. infra vs. 94: «usum rapidæ permittere vitæ» et Hor. Sat. II. 1, 27: «quot capitum vivunt, totidem studiorum Milia». — *discolor*, diversus; cf. Hor. Ep. I. 18, 3—4: «Ut matrona meretrici dispar erit atque Discolor». — *Velle suum*, voluntas sua; de hoc infinitivi usu cf. adnotationem ad I. 9: «vivere triste». — *nec voto vivitur uno*, diversa sunt hominum optata; cf. II. 7: «aperto vivere voto» et Verg. Ecl. II. 65: «trahit sua quemque voluptas».

V. 54—58. *Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper*; imitatur Hor. Sat. I. 4, 29:

> Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
> Vespertina tepet regio.

— *Mercibus . . . mutat . . . piper*, mutare aliquid aliqua re, i. e. merces inter se commutare, ut Hor. Sat. II. 7, 109: «uvam Furtiva mutat strigili» et Carm. I. 17, 1—2: «Velox amœnum sæpe Lucretilem Mutat Lycæo Faunus. — *sub sole recenti*, in terris ad orientem sitis, quas sol exoriens primum tangit; cf. Verg. Ge. I. 288: «Aut cum sole novo terras irrorat Eous». — *Rugosum piper*, piper Indicum; cf. Plin. N. H. XII. 26: «Oliva Indiæ sterilis præterquam oleastri fructus. Passim vero, quæ *piper* gignunt, iuniperis nostris simile . . . Semina a iunipero distant parvulis siliquis, quæles in phasiolis videmus. Hæ priusquam dehiscant, decerptæ tostæque sole faciunt, quod vocatur piper longum, paulatim vero dehiscentes maturitate ostendunt candidum piper, quod deinde tostum solibus colore *rugisque* mutatur»; ibid. 29: «Piperis arborem iam et Italia habet . . . Amaritudo grano eadem, quæ piperi musteo credatur esse. Sed deest tosta illa maturitas ideoque et *rugarum* et colorum similitudo».

Cf. infra vs. 136: «Tolle recens primus piper ex sitiente camelo» et Juv. XIV. 293. de mercatore: «Frumenti dominus clamat piperisve coempti». — *pallentis grana cumini*, imitatur Hor. Ep. I. 19, 17—18: «quodsi Pallerem casu, biberent *exsangue* cuminum». Cuminum enim homines pallere facit; cf. Plin. N. H. XX. 160: «Omne cuminum pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porci Latronis, clari inter magistros dicendi, adsentatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos». *Pallens* igitur hoc loco significat, quod pallere facit; cf. Tib. I. 8, 17—18: «num te pallentibus herbis Devovit tacito tempore noctis anus», Ov. Ar. Am. II. 105: «Nec data profuerint pallentia philtra puellis» et apud Persium ipsum prol. 4: «pallidamque Pirenen» et adnotationem ad hunc locum. — *satur*, post cenam. — *inriguo ... somno*, quia somnus quasi inrigat artus quiete; cf. Lucr. IV. 907: «somnus per membra quietem Inriget»; Verg. Aen. III. 511: «fessos sopor inrigat artus». — *turgescere*, quia multo somno corpus pingue fit. — *Hic campo indulget*, variis exercitationibus gymnasticis gaudet in campo Martio; *campus* pro campo Martio, ut Hor. Carm. I. 8, 3—4: «cur apricum Oderit campum, patiens pulveris atque solis», Ep. I. 7, 59: «Et ludis et post decisa negotia campo», A. P. 162: «Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi». — *hunc alea decoquit*, hic rem familiarem ludo alearum perdit. *Decoquere* sensu intransitivo sæpe significat rem familiarem perdere, solvendo non esse; cf. Varr. Sat. Men. 512: «in foro medio luci claro decoquere»; Cic. Phil. II. 18: «Tenesne memoria prætextatum te decoxisse». Sensu transitivo: *aliquem re familiari spoliare*, hoc uno loco occurrit. Alea et Venus, ut hoc loco, una commemorantur Hor. Ep. I. 18, 21: «Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat». — *In Venerem putris*,

libidinosus; imitatur Hor. Carm. I. 36, 17: «Omnes in Damalin putres Deponent oculos», sed, quod Horatius de oculis dixit, ad hominem transtulit. Putre est, quod in humorem dissolvitur et putres sunt libidinosorum oculi cupiditate madentes. Eodem sensu usurpatur Græce ταχερός.

V. 58—61. *lapidosa cheragra*, quia articulos obdurescere facit. — *Fregerit articulos*, imitatur Hor. Sat. II. 7, 15—16: «postquam illi iusta cheragra *Contudit* articulos». — *veteris ramalia fagi*, appositio ad *articulos:* articulos, qui cheragra nodosi sunt, ut rami veteris fagi. Cf. Hor. Ep. I. 1, 31: «*Nodosa* corpus nolis prohibere cheragra»; Ov. Ex. Pont. I. 3, 23: «Tollere *nodosam* nescit medicina podagram». — *veteris... fagi*, ut Verg. Ecl. IX. 9: «*veteres*, iam *fracta* cacumina, fagos», quod Persius fortasse ante oculos habuit. — *crassos transisse dies*, stultos præteriisse dies; imitatur Tib. I. 4, 33:

> Vidi ego iam iuvenem, premeret cum serior ætas,
> Mærentem *stultos* præteriisse dies.

Crassus et *pinguis* sæpe idem significant, quod stultus, quia veteres pinguedinem stultitiæ signum putabant; cf. adnotationem ad I. 57: «pinguis aqualiculus»; Mart. IX. 23: «vulgus crassaque turba» h. e. rudis, indocta; Varr. ap. Non. II. 137: «senes crassi» i. e. hebetes. — *lucemque palustrem* sc. transisse, vitam in tenebris inscitiæ, tamquam in nebuloso paludum aëre, peractam esse. Alludit ad Bœotos, qui in nebuloso paludis Copaidis aëre vivebant et ob id ipsum credebantur esse hebetiores. Cf. Cic. de fat. 4: «Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani»; Hor. Ep. II. 1, 244: «Bœotum in crasso iurares aëre natum». — *sibi iam seri vitam ingemuere relictam*, sero ingemuerunt vitam a

se relictam esse, i. e. se iam ad finem vitæ pervenisse et maiorem melioremque vitæ partem perdidisse. — *sibi* pro: *a se* cum verbo passivo, ut vulgo apud poetas.

V. 62—65. *nocturnis ... chartis*, nocturno studio. — *impallescere*, de honesto studiorum pallore cf. adnotationem ad I. 26: «En pallor seniumque!» *Impallescere* aliqua re, ut Stat. Theb. VI. 805: «eventu impallescere». — *Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures Fruge Cleanthea*, imago ab agricultura desumpta, quia agricolæ agrum, priusquam serant, filice purgant. Cf. adnotationem ad IV. 41: «Non tamen ista felix ullo mansuescit aratro». — *Cultor ... iuvenum*, ut cultor agri. — *purgatas inseris aures Fruge*, inserere aliquid aliqua re raro occurrit pro: inserere aliquid alicui rei; cf. Cic. De univ. 12: «Cum autem animis corpora cum necessitate insevisset». — *purgatas ... aures*, aures ad philosophiam accipiendam præparatas. Cf. Hor. Ep. I. 1, 39—40:

> Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
> Si modo culturæ patientem accommodet aurem;

Cic. Tusc. II. 5, 13: «Cultura animi philosophia est, hæc extrahit vitia radicitus et præparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant»; Hor. Ep. I. 1, 7: «Est mihi, purgatam crebro qui personet aurem». — *Fruge Cleanthea*, philosophia Stoica. Cleanthes, Zenonis auditor et post mortem eius sectæ Stoicæ princeps, vixit a. 331—251. a. Chr. n. — *Petite hinc*, ex philosophia. — *puerique senesque*, cf. Hor. Ep. I. 1, 25—26. de philosophia:

> Aeque pauperibus prodest, locupletibus æque,
> Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.

— *Finem animo certum*, certum vitæ finem, quem sine philosophia non possumus invenire; cf. III. 60: «Est aliquid, quo tendis et in quod derigis arcum» et adnotationem ad h. l. — *miserisque viatica canis*, miseræ senectuti viaticum; cf. quod Bias dixit, apud Diog. Laert. I. 5, 80: Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε φιλοσοφίαν, et, quod Aristoteles, apud eund. V. 11, 21: κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ ἡ παιδεία. — *canis*, canis capillis, i. e. senectuti. Cf. Cic. Senect. 18: «Non *cani*, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt»; Ov. Met. VIII. 9: «cani honorati».

V. 66—69. *Cras hoc fiet*, dicit aliquis, qui, quæ hodie agenda sunt, semper in crastinum diem differt. Cf. Ov. Rem. 104: «Dicimus assidue: cras quoque fiet idem»; Mart. V. 58:

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.
Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?
Cras vives? Hodie iam vivere, Postume, serum est:
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

— *Idem cras fiet;* poeta respondet: quod tu hodie dicis, cras quoque dices et ita, quæ agenda sunt, semper in crastinum diem differes. — *Quid? quasi magnum Nempe diem donas.* Dilator ille mirabundus dicit: Quid? Tu igitur unum diem ut magnum aliquid concedis mihi; unus dies tibi longa dilatio esse videtur. — *Sed cum lux altera venit, Iam cras hesternum consumpsimus*, cum venit dies alter, iam ex illo die, quem heri *cras* appellavisti, *hodie* factum est; nunquam igitur illud *cras* assequeris et cotidie habebis novum *cras*, in quod incepta differas. — *consumpsimus*, cf. adnotationem supra ad vs. 41: «longos consumere soles.» — *aliud cras*, in quod incepta denuo differs. — *Egerit hos annos*, consumit hanc vitam; *egerere annos*, ut Val. Flac.

V. 298—299: «nunquam tanto paventibus ulla Nox Minyis egesta metu,» ibid. VIII. 453: «tota querelis Egeritur fletuque dies». Recte Heinrich (p. 153. ed.): «*egerit* vom Schiffe hergenommen, *egerere sentinam*, dann so viel als *paulatim exhaurire*. Dies immer wiederkehrende *cras* erschöpft endlich das ganze Leben.» — *semper paulum erit ultra*, illud *cras*, in quod tu incepta differs, semper paulum ultra te erit, i. e. nunquam illud cras assequeris, nam, quousque processeris, semper futurum erit tibi cras. Cf. Joan. Chrys. ad pop. Antioch. 19.: Μή μοι λέγε, ὅτι κατὰ μικρόν, μηδὲ εἰς τὴν ἄὕριον ἀναβάλλου, ἡ γὰρ ἄὕριον οὐδέποτε λαμβάνει τέλος.

V. 70—72. *Nam quamvis prope te* etc.; ut rota posterior currus quattuor rotas habentis, quamvis celerrime currat, nunquam assequitur rotam eiusdem currus priorem, ita dilator ille, qui agenda semper in diem crastinum differt, nunquam illud *cras* assequi potest; nam unumquodque *hodie* habet suum *cras*, in quod incepta differri possunt. — *temone sub uno*, in eodem curru. — *canthum*, proprie orbem ferreum significat, quo rota circumdatur; hoc loco pro rota ponitur. Cf. Quint. Inst. Or. I. 5, 8: «Barbarismum pluribus modis accipimus: unum gente, quale, si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici solet *canthus:* quamquam eo tamquam recepto utitur Persius». — *Cum rota posterior curras*, si tu rotæ posterioris partes agis. Hoc loco subiectum est *tu*, cui addenda est appositio: *ut rota posterior*. Cf. adnotationem ad VI. 37: «Bestius urguet».

Pars secunda (v. 73—90.) *Libertate opus est. Sed nobis non sufficit libertas illa civilis, qua nequissimus servus, si voluit dominus, liber fit et, quantumvis ei diffidas, omnes iuris actiones perficere valet. Plerique enim*

in eo sane libertatem ponunt, ut facere liceat, quodcunque voluntas iusserit, modo ne legibus vetitum sit, quod non agnoscit Stoicorum doctrina.

V. 73—74. *Libertate opus est*, libertate vera, quam præter sapientem nemo habere potest secundum Stoicos. — *Non hac, ut quisque Velina Publius*, libertate opus est, sed non ea libertate, qua quicunque in Velina tribu Publius est (fit), i. e. qua ex servo quicunque civis Romanus factus consequitur et in tribu Velina censeri et prænomen Romanum accipere. — *hac*, supple: *libertate*. — *ut*, insolenter pro *qua*. — *quisque* pro *quicunque*, ut Plaut. Mil. 160. et passim apud Plautum et Terentium. — *Velina Publius*, qui libertatem nactus erat, is prænomen Romanum accipiebat (cf. infra vs. 79.) et tribui adscribebatur. — *Velina*, in Velina tribu; tribum Velinam exempli loco affert, ut Hor. Ep. I. 6, 52: «hic multum in Fabia valet, ille Velina.» — *emeruit*, emeruit servitutis quasi stipendia. Cf. Cic. De sen. 14, 49: «At illa quanti sunt, animum tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium secum esse.» — *scabiosum tesserula far Possidet*, cives pauperes Romæ frumentum e publico accipiebant; is igitur, qui manumissione e servo civis Romanus factus est, hoc beneficium libertate ipsa adeptus est. Itaque permulti manumittebantur, ut beneficio illo fruerentur; cf. Dion. Hal. IV. 24; Dio Cass. XXXIX. 24. — *scabiosum . . . far*, frumentum situ corruptum ex granariis publicis. *Scabiem* pomis tribuit Juv. V. 153: «Tu scabie frueris mali» i. e. malo scabioso. — *tesserula*, civibus pauperibus tessera dabatur, qua prolata certis diebus frumentum accipiebant. Cf. Suet. Aug. 40: «ne plebs frumentationum causa frequentius ab negotiis avocaretur, ter in annum quaternum

mensum *tesseras* dare destinavit»; Juv. VII. 174—175: «Summula ne pereat, qua vilis *tessera* venit Frumenti».

V. 75—79. *steriles veri*, veritatis nescii; *sterilis* cum genitivo, ut Vell. Pat. I. 18, 3: «liberalium studiorum steriles», Tac. Hist. I. 3: «virtutum sterile sæculum.» — *una Quiritem Vertigo facit*, alludit ad manumissionem per vindictam, quæ fiebat apud magistratum populi Romani, velut consulem prætoremve vel proconsulem. Servum, quem dominus manumittere volebat, lictor vindicta (virga) tangebat, dominus autem *vertebat* (unde *vertigo)* seu circumducebat et e manu emittebat his verbis: «Hunc hominem liberum esse volo». Cf. Hor. Sat. II. 7, 76; Isid Orig. IX. 4; Quintil. decl. 242. p. 321. Bip.; Ulp. I. §. 7; Paul. Fest. s. v. *manumitti* (p. 153. ed. Thewrewk); Gai. IV. 15. Eodem exemplo utitur Epict. II. 1, 26: Ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὑτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; Ἐποίησεν. Τί; Ἔστρεψε τὸν αὑτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. Ἄλλο οὐδέν; Ναί, καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Τί οὖν; ὁ ταῦτα παθὼν οὐ γέγονεν ἐλεύθερος; Οὐ μᾶλλον ἢ ἀτάραχος. — *Quiritem*, liberum hominem. Numerus singularis huius vocis raro occurrit; vide Hor. Carm. II. 7, 3, Ep. I. 6, 7; Ov. Met. XIV. 823; Juv. VIII. 47. — *Dama*, nomen servile, decurtatum e nomine Δημήτριος sive Δαμάτριος, Græce Δαμᾶς. Occurrit apud Hor. Sat. I. 6, 38; II. 5, 18, 101; II. 7, 54. — *non tresis*, mancipium vilissimum; cf. Cic. Ep. Fam. V. 10, 1: «non semissis homo»; Plaut. Poen. I. 2, 168: «Non ego homo trioboli sum.» — *agaso*, servus, qui equorum curam agit. — *Vappa lippus*, qui immodico vappæ usu lippus factus est; cf. adnotationem ad II. 72: «lippa propago.» — *in tenui farragine mendax*, in pabulo equorum administrando, quod erat agasonis officium, fraudulentus; qui partem pabuli non equis dat, sed vendit. — *farragine*, cf. Paul. Fest. s. v. (p.

65. ed. Thewrewk): «Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur iumentis.» — *Verterit hunc dominus*, supple: si verterit etc. Cf. adnotationem supra ad vs. 75: «quibus una Quiritem *Vertigo* facit.» — *momento turbinis*, ut Hor. Sat. I. 1, 7: «horæ momento» — *turbinis*, idem significat, quod supra vs. 76. *vertigo*. — *exit*, evadit, fit; cf. Hor. A. P. 21—22: «amphora cœpit Institui, currente rota cur urceus exit?» — *Marcus Dama*, libertus prænomen Romanum nomini servili adiungit et ex Dama fit Marcus Dama.

V. 79—82. *Papæ!* exclamatio admirantis, hoc loco ironice usurpatum. Dicit enim poeta se mirari, si quis posthac Marco, cive Romano, spondente pecuniam non credat aut eum iudicem iustum testemque religiosum fore non putet. Cf. Plaut. Bacch. 207, Rud. 1320; Ter. Eun. 229 et 416. — *Marco spondente*, si Marcus pro aliquo spondet, tu recusas pecuniam illi credere? Cum his et sequentibus *(Marco sub iudice, Marcus dixit)* cf. Hor. Ep. I. 16, 40—43: «vir bonus est quis? . . . Quo multæ magnaeque secantur *iudice* lites, Quo res *sponsore* et quo causæ *teste* tenentur». — *Marco sub iudice palles*, times, ne contra ius iudicet. *Pallere pro: timere*, ut III. 43: «Palleat infelix, quod proxima nesciet uxor» et V. 184: «recutitaque sabbata palles»; cf. Hor. Ep. I. 7, 7: «Dum pueris omnis pater et matercula pallet». — *Marcus dixit, ita est*, Marcus igitur, qui paulo ante mendax (vs. 77.) fuit, subito testis veridicus factus est. — *Adsigna, Marce, tabellas*, sigillo tuo, ut testis, confirma tabulas dotis aut testamenti etc. Testes enim negotiorum tabulas sigillis suis confirmare solebant, unde *signatores* vel *obsignatores* vocabantur. Cf. Juv. III. 82—3, X. 336; Tac. Ann. XI. 27; Suet. Claud. 26. — *mera libertas*, ut Hor. Ep. I. 18, 8: «vult libertas dici mera.» — *pillea*, quia pilleus sive

pilleum erat libertatis signum, quod manumissi gestabant. Cf. adnotationem ad III. 106: «capite induto».

V. 83—85. *An quisquam est* etc., verba liberti cuiusdam, qui se vere liberum esse putat. — *ducere vitam*, agere vitam; eadem verba in fine hexametri Aen. IV. 340—341: «Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspicis». — *Cui licet, ut voluit*, alludit ad Stoicam libertatis definitionem; cf. Cic. Parad. V. 1, 34: «Libertas est potestas vivendi, ut velis»; Epict. IV. 1, 1: Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται. Hæc definitio est hoc loco propositio syllogismi, quo libertus se liberum esse demonstrat. — *voluit*, perfectum, quia voluntas præcedit actionem. — *Licet, ut volo, vivere*, assumptio sive propositio minor syllogismi. — *non sum Liberior Bruto?* conclusio syllogismi, quæ hoc loco interrogationis formam habet. — *Bruto*, qui reges expulit et populum Romanum in libertatem vindicavit. Cf. Verg. Aen. VI. 819—821:

> Consulis imperium hic primus sævasque secures
> Accipiet natosque pater nova bella moventes
> Ad poenam pulchra pro libertate vocabit.

V. 85—87. *Mendose colligis*, mendosam conclusionem (syllogismum) facis; *colligere* enim hoc loco idem significat, quod Græce συλλογίζεσθαι. Cf. Senec. Ep. 83, 9: «Vult nos ab ebrietate deterrere Zenon, vir maximus... Audi ergo ,quemadmodum *colligat* virum bonum non futurum ebrium: Ebrio secretum sermonem nemo committit, viro autem bono committit; ergo vir bonus ebrius non erit.» — *Stoicus*, poeta philosophum Stoicum inducit, quia tota satira Stoicorum de libertate doctrinam sequitur. — *hic*, de tempore, ut I. 32. — *aurem mordaci lotus aceto*, qui aures aceto purgavit et ideo acute audit; sensu translato: qui

dialecticæ peritus est et mendum in conclusione statim animadvertit. Stoici maximam curam impendebant studiis dialecticis; cf. Cic. De fin. III. 1, 3: «Stoicorum autem non ignoras, quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus.» — *aurem . . . lotus*, cf. I. 126: «Inde vaporata lector mihi ferveat aure» et V. 63: «Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures.» — *mordaci . . . accto*, acetum inter medicamenta aurium enumerat Cels. De med. VI. 7, 2—3. — *Hoc reliquum accipio, «licet» illud et «ut volo» tolle*, propositionem syllogismi tui (liberum esse, cui liceat vivere, ut velit) accipio, sed assumptionem (tibi licere vivere, ut velis) nego; libertatem recte definivisti, sed tu non es particeps huius libertatis.

V. 88—90. *Vindicta postquam meus a prætore recessi* etc., responsio liberti, qui his verbis arguit se nullam aliam libertatem nosse atque civilem. — *Vindicta*, abl. instr.; virga, qua lictor caput manumittendi tangebat; cf. adnotationem ad V. 75: «una Quiritem *Vertigo* facit» et Hor. Sat. II. 7, 76—77:

. . . quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?

— *meus*, mei iuris, nulli domino subiectus; cf. Ter. Phorm. 587: «Nam ego meorum solus sum *meus*»; Plaut. Per. 472: «*sua* nunc est, mea ancilla quæ fuit»; Tib. IV. 6, 15—16: «Præcipit et natæ mater studiosa, quod optet: Illa aliud tacita, iam *sua*, mente rogat»; Senec. Ep. 20, 1: «Si te dignum putas, qui aliquando fias *tuus*»; Priscian. II. p. 63. Euripidis verba laudat: Ἐγὼ δ' ἐμός εἰμι. — *a prætore*, quia manumissio apud prætorem potissimum fiebat; cf. Ulp. I. §. 7: «Vindicta manumittuntur apud magistratum populi Romani, velut consulem prætoremve vel proconsulem.» —

iussit quodcumque voluntas. cf. Hor. Sat. II. 3, 141: «iussit quod splendida bilis.» — *Excepto si quid Masuri rubrica vetavit*, nisi si quid legibus prohibitum est. Agitur de libertate civili, quæ a iurisconsultis Romanis (Inst. I. 3, 1. Digg. V. 5, 4.) ita definitur: «Facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur». — ***Masuri***, Masurius Sabinus, iurisconsultus celeberrimus, quem secuta est Sabinianorum secta, Tiberii tempore floruit et Nerone imperante adhuc vixit. Cf. Dig. I. 2, 2, 48 et 50; Gai II. 218. — *rubrica*, alludit ad celeberrimum Masurii opus, ad libros tres iuris civilis, ubi tituli legum, ut etiam in ceteris legum collectionibus, minio notabantur. Cf. Juv. XIV. 192—193: «perlege rubras Maiorum leges»; Quint. Inst. Or. XII. 3, 11: «alii se ad rubricas transtulerunt» i. e. ad ius civile; Paul. Dig. 43, 1, 2 §. 3: «edictum proponitur sub rubrica: *unde vi*». Masurii leges legibus naturæ opponit etiam Epict. IV. 3, 12: Οὗτοί εἰσιν οἱ ἐκεῖθεν ἀπεσταλμένοι νόμοι, ταῦτα τὰ διατάγματα, τούτων ἐξηγητὴν δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς Μασουρίου καὶ Κασσίου. — *vetavit*, insolens forma pro: vetuit; cf. Serv. Verg. Aen. II. 201; Past. Herm. 3, 9, 6. Pal. *Vetastis* occurrit: Itala Luc. 11, 52. Cant.; *vetassent:* Epit. Iliad. 250; *vetatus est:* Itala act. apost. 17, 15; *vetati sunt:* Vulg. act. apost. 16, 6.

Pars tertia (v. 91—123.) *Stoici docent non ex iure civili acquiri libertatem, verum id tantum facere licere, quod quis recte facere valeat. Itaque is demum vere liber est, qui rectum a pravo discernere, i. e. philosophiam moralem, vitæ artem, didicit et cupiditatibus animum liberavit. Quæ si quis externa tantum specie monstret, vitia occulta sub pectore servans, is non potest liber vocari, neque qui aliqua ex parte vitiis obnoxius est, quicquam vel minimum recte facere potest. Unde colligitur neminem*

esse liberum nisi sapientem, stultis autem, qui artem vitæ, philosophiam, non didicerint, nihil facere licere.

V. 91—92. *Disce*, quid sit vera libertas. Cf. III. 73: «Disce, nec invideas.» – – *ira cadat naso*, noli irasci, si demonstrabo te non esse liberum. Stoicorum enim de libertate doctrinam multi indigne ferebant; cf. Epict. IV. 1, 7: Ἂν δ' αὐτῷ (τῷ δισυπάτῳ) τὰς ἀληθείας εἴπῃς, ὅτι: Τῶν τρὶς πεπραμένων οὐδὲν διαφέρεις πρὸς τὸ μὴ καὶ αὐτὸς δοῦλος εἶναι, τί ἄλλο ἢ πληγάς σε δεῖ προσδοκᾶν; — *cadat naso*, quia nasus erat antiquorum sententia iræ sedes. Cf. Theocr. I. 18: Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται; Herod. Mimiamb. 4. ed. Bergk: μὴ δὴ κόρῃ τὸ τὴν χολὴν ἐπὶ ῥινὸς ἔχ' εὐθύς; Lucil. l. XX. vs. 10—11. (ed. Mueller):

> Calpurni sæva lege in Pisoni' reprendi
> Eduxique animam primoribu' partibu' naris.

— *rugosaque sanna*, distortio vultus, qua nares corrugantur. Cf. I. 62: «posticæ occurrite sannæ» et Hor. Ep. I. 5, 23: «corruget naris.» — *veteres avias*, falsas opiniones inveteratas; errores aniles, quibus aviæ et nutriculæ teneros puerorum animos imbuere solent. De *avia*, stultæ superstitionis exemplo, cf. II. 31. sqq. – – *de pulmone revello*, ex pectore, animi sede, evello. *Pulmo* pro pectore, ut *fibra* I. 47. et III. 29.

V. 93—95. *Non prætoris erat*, apud quem manumissiones fiebant. Cf. adnotationem ad vs. 88: «a prætore recessi.» – – *stultis dare tenvia rerum Officia*, non sapientibus dare eam facultatem, ut officia vitæ ea, qua par est, subtilitate discernant. – – *stultis*, non sapientibus; Stoici enim omnes non sapientes stultos vocabant. Cf. Cic. De fin. IV. 27, 74. de Stoicis: «Nam ex eisdem verborum præstigiis et regna nata vobis sunt et imperia et divitiæ, et tan-

tæ quidem, ut omnia, quæ ubique sint, sapientis esse dicatis. Solum præterea formosum, solum liberum, solum civem; *stultos* omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Hæc παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus.» — *tenvia rerum Officia*, officia vitæ, quæ subtiliter distinguenda sunt. Cf. Sen. Ep. 94, 35. de præceptis ad officia vitæ pertinentibus: «*Tenues* autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personæ». *Tenuis* simili significatione occurrit infra VI. 24: «Nec tenuis sollers turdarum nosse salivas»; Hor. Sat. II. 4, 8—9:

> Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem,
> Utpote res *tenuis tenui* sermone peractas

et ibid. 35—36:

> Nec sibi cenarum quivis temere adroget artem,
> Non prius exacta *tenui* ratione saporum.

— *tenvia*, tribus syllabis pronuntiandum, ut Verg. Ge. I. 397, II. 121, IV. 38. — *usum rapidæ permittere vitæ*, permittere, ut rapidum vitæ cursum regant. — *Sambucam citius caloni aptaveris alto*, supple: quam artem vitæ stulto. — *Sambucam*, organum musicum chordis instructum, cuius figuram vide: *Rich*, Illustr. Wört. s. v. Cf. Athen. IV. p. 175. D. E. XIV. p. 633. F. 637. B. et Paul. Fest. s. v. (p. 479. ed. Thewrewk): «Sambuca organi genus, a quo sambycistriæ dicuntur. Machina quoque, qua urbs expugnatur, similiter vocatur. Nam ut in organo chordæ, sic in machina intenduntur funes». Cum tota sententia cf. illud Græcorum: ὄνος πρὸς λύραν. — *citius*, potius. Cf. Cic. Phil. II. 11: «citius dixerim»; Liv. XXIV. 3, 12: «Morituros se affirmabant citius, quam immixti Bruttiis in alienos ritus... verterentur.» — *caloni*, servo militari. Cf. Paul. Fest. s. v.

(p. 43. ed. Thewrewk): «Calones militum servi dicti, quia ligneas clavas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant». Persius, qui centuriones ab omni liberali doctrina alienos III. 78. sqq. et V. 189. sqq. ridiculos facit, servum militarem profert stultitiæ exemplum. — *aptaveris*, aptare sambucam caloni, ut infra vs. 140: «Iam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas» et Hor. Epod. 7, 2: «aptantur enses dexteris.» — *alto*, procera statura; cf. infra vs. 190. de centurione: «Pulfennius ingens». Scholia: «*alto* dixit, quia proceri eliguntur propter belli necessitatem».

V. 96—99. *Stat contra ratio*, ratio non permittit; cf. Mart. I. 53, 12: «Stat contra dicitque tibi tua pagina: fur es»; Juv. VIII. 131—132: «Incipit ipsorum contra te stare parentum Nobilitas.» — *ratio*, sc. ratio Stoicorum, philosophia; cf. adnotationem supra ad vs. 39: «Et premitur ratione animus.» — *secretam*, secreto. — *garrit in aurem*, ut apud Lucr. III. 14: «Ratio tua cœpit vociferari» et Hor. Ep. I. 1, 7. de voce rationis: «Est mihi, purgatam crebro qui personet aurem». *Garrire in aurem*, ut apud Mart I. 89, 1; III. 28, 2; V. 61, 3. — *quod quis vitiabit agendo*, quod quis agendo, quia non novit, vitiosum faciet, corrumpet. — *Publica lex hominum*, quæ plus valet, quam *Masuri rubrica* vs. 90. — *naturaque*, natura est secundum Stoicos fons iuris communis generis humani. Cf. Cic. De fin. III. 19, 62: «Pertinere autem ad rem arbitrantur intellegi *natura* fieri, ut liberi a parentibus amentur; a quo initio profectam generis humani societatem persequimur» et ibid. 20, 67: «quoniamque ea *natura* esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore.» — *hoc fas*, hoc præceptum. — *Ut teneat vetitos inscitia debilis actus*, ut inscitia teneat se ab actibus sibi vetitis. Sed,

quidquid inscitia agit, id ei vetitum est; unde efficitur vs. 119. («nil tibi concessit ratio») stultis nihil licere. *Tenere actus* pro: tenere se ab actibus, ut dicitur: risum, iracundiam, dolorem, lacrimas tenere. — *debilis* est inscitia, quia nihil recte agere potest.

V. 100—104. *Diluis* etc.; cum exemplis vss. 100—104. prolatis cf. Hor. Ep. I. 1, 114—115:

> Navem agere ignarus navis timet: habrotonum ægro
> Non audet, nisi qui didicit, dare.

— *Diluis elleborum, certo compescere puncto Nescius examen?* Tu medicamenta misces et iustum pondus partium inter se miscendarum ignoras? — *Diluis elleborum*, elleborum misces aqua vel alio liquore. De elleboro, diversorum morborum medicamento, cf. Plin. N. H. XXIV. 54. et adnotationes ad III. 63. et I. 51: «ebria veratro.» — *certo compescere puncto ... examen*, non ad trutinam referendum, sed ad stateram, quæ unam tantum lancem habet et ubi pondus in scapo punctis distincto pendens mensuram indicat. — *compescere ... examen*, ligulam stateræ sistere. De *examine* cf. adnotationem ad I. 6: «examenve improbum.» — *natura medendi*, ratio artis medendi. — *Navem si poscat sibi*, si navem regere velit. — *peronatus arator*, rusticus, cuius pedem pero tegit. *Pero* erat calceamentum rusticorum; cf. Juv. XIV. 185—186:

> Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
> Per glaciem perone tegi.

— *Luciferi rudis*, astrorum ignarus; nauta enim sine accurata stellarum notitia navem recte derigere non potest. — *exclamet Melicerta perisse Frontem de rebus*, ut Hor. Ep. II. 1, 80—81: «clamant periisse pudorem Cuncti pæne

patres». — *Melicerta*, recte scholia: «Deus marinus, Inus filius in deorum numerum relatus, qui Græce Palæmon, Latine Portunus dicitur». Fabulam vide apud Ov. Met. IV. 416—542. — *Frontem*, pudorem, quia frons est pudoris sedes. Cf. Juv. XI. 204—205: «iam nunc in balnea salva *Fronte* licet vadas», VIII. 189: «populi *frons* durior huius», XIII. 242: «Reiectum semel attrita de *fronte* pudorem.» — *de rebus*, de rerum natura, Hungarice: *a világból*, Germanice: *aus der Welt*. Cf. Verg. Ge. II. 534: «rerum facta est pulcherrima Roma», Aen. VII. 602—603: «maxima rerum Roma»; Hor. Sat. I. 9, 4: «dulcissime rerum»; Ov. Met. VIII. 49: «pulcherrime rerum».

V. 104—106. *Tibi recto vivere talo Ars dedit*, calles philosophiam, vitæ artem, ut eius præcepta sequens recte vivere possis? — *recto vivere talo*, ita, ut in vita firme stes nec facile cadas fallente vestigio; cf. Hor. Ep. II. 1, 176: «Securus, cadat an recto stet fabula talo»; Pind. Isth. VI. 12: ὀρθῷ ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ; Eurip. Hel. 1449: ὀρθῷ βῆναι ποδί. — *Ars*, philosophia, quæ est ars vitæ. Cf. Epict. III. 1, 62: ἐπιστήμη τοῦ βίου; ibid. IV. 1, 117: ἡ περὶ βίον ἐπιστήμη; Senec. Ep. 117, 12: «Sapientia est mens perfecta vel ad summum optimumque perducta. Ars enim vitæ est»; Cic. De fin. I. 21, 72. de Epicuro: «eas ergo artes persequeretur, *vivendi artem* tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret?» — *veris speciem dinoscere calles*, falsam speciem a veritate discernere potes, i. e. calles dialecticam; eius enim studio maximam curam impendebant Stoici. Cf. Cic. De fin. III. 21, 72: «Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adiungunt et physicam (Stoici) easque ambas virtutum nomine appellant, alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur neve unquam captiosa probabilitate fallamur, eaque,

quæ de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse»; Hor. Sat. II. 3, 208—209: «Qui *species* alias *veris* scelerisque tumultu Permixtas capiet». — *Ne qua subærato mendosum tinniat auro,* imago a nummis petita. Nummum enim adulterimum *tinnitu* maxime agnoscimus; cf. Quint. Inst. Or. XI. 3, 31: «Nam sonis homines, ut æra *tinnitu*, dignoscimus». — *Ne qua*, sc. ne qua species. — *subærato ... auro*, non solidum aurum, sed, cui æs subest, Græce ὑπόχαλκον. Cf. Herodian. p. 447. ed. Piers.: Ὑπόχαλκον νόμισμα τὸ μὴ δόκιμον καὶ κίβδηλον. — *mendosum tinniat*, ut nummus adulterinus; cf. III. 21: «sonat vitium» et V. 25: «solidum crepet» et adnotationes ad hos locos. — *tinniat*, de sono pecuniæ, ut Cic. ad Att. XIV. 21, 4: «Ecquid *Dolabella tinniat*», ubi agitur de pecunia solvenda.

V. 107—108. *Quæque sequenda* etc.; scisne virtutem a vitio discernere, i. e. callesne philosophiam moralem? — *Quæque sequenda forent*, virtutes. — *quæque evitanda*, vitia. — *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti*, imitatur Hor. Sat. II. 3, 246: «Quorsum abeant? Sanin creta an carbone notati?» — *creta*, quia albus color semper id significat, quod bonum faustumque est. Inde I. 110: «sint omnia protinus alba» et Hor. Carm. I. 36, 10: «Cressa ne careat pulchra dies nota» et Sat. I. 5, 40—42:

> Plotius et Varius Sinuessæ Vergiliusque
> Occurrunt, animæ, quales neque *candidiores*
> Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.

— *carbone*, color niger semper id significat, quod malum pestiferumque est. Inde *dies ater* pro die infelici et illud

Horatianum (Sat. I. 4, 85.) de homine malo: «Hic *niger* est, hunc tu, Romane, caveto».

V. 109—112. *Es modicus voti*, optata tua moderata sunt? *Modicus* cum genitivo, ut Sil. It. V. 14: «modicus voti»; Symm. Epp. X. 22: «voti immodicus»; Tac. Ann. II. 73: «modicus voluptatum», ibid. III. 72: «modicus pecuniæ. — *presso lare;* est domus tua ab omni luxuria remota? *Pressus* hoc loco idem significat, quod *moderatus;* cf. solitas locutiones: presso gradu vel pede incedere; pressa oratio, i. e. non diffusa, non abundans. — *lare*, lar familiaris, cuius in tutela domus est, pro domo ipsa ponitur. Cf. Hor. Ep. II. 2, 51: «Et laris et fundi paupertas»; similiter dicitur: ad larem suum reverti, abire ad lares. — *dulcis amicis*, indulgens. Cf. Hor. I. 3, 69—70: «amicus dulcis, ut æquum est, Cum mea compenset vitiis bona», ibid. 139—140: «et mihi dulces Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici»; Cic. Læl. 24, 90: «Melius de quibusdam acerrimos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur.» — *Iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes;* sumptus tuos, ut res et tempus postulant, et minuere et augere scis; es a luxuria et ab avaritia pariter remotus. Cf. Senec. Ep. 94, 23: «Puta enim avaritiam relaxatam, puta adstrictam esse luxuriam.» — *adstringas ... laxes,* verba de frenis usurpata, audacter ad *granaria* translata. Cf. Cic. ad Att. X. 6: «Pater nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat», ubi agitur de frenis disciplinæ. — *granaria,* de sumptibus, ut infra VI. 25—26: «Messe tenus propria vive et granaria, fas est, Emole: Quid metuas? Occa et seges altera in herba est». — *Inque luto fixum possis transscendere nummum,* pecuniam scis contemnere. Imitatur Hor. Ep. I. 16, 63—64:

Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem.

— *Inque luto fixum*, rectissime explicant scholia: «Solent pueri, ut ridendi causam habeant, assem in silice plumbatum figere, ut qui viderint, se ad tollendum eum inclinent nec tamen possint evellere. Quo facto pueri etiam acclamare solent». Cf. Petron. 43. de avaro: «ab asse crevit et paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere.» — *transscendere*, præterire, non tollere. — *Nec gluttu sorbere salivam Mercurialem*, et cupiditatem lucri non sentire. — *gluttu*, gluttus est proprio sensu sonus, qui auditur, cum aliquid avide devoramus. *Gluttu sorbere* igitur significat avide devorare. — *sorbere salivam* dicitur is, qui cupiditate aliqua est incitatus. Cf. Senec. Ep. 79, 7: «Aut ego te non novi aut Aetna tibi *salivam movet*. Iam cupis grande aliquid et par prioribus scribere». — *Mercurialem*, quia hoc loco saliva lucri cupiditate movetur; Mercurius autem est deus lucri. Cf. Hor. Sat. II. 3, 24—26:

Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia *Mercuriale*
Imposuere mihi cognomen compita.

V. 113—114. «*Hæc mea sunt, teneo*» *cum vere dixeris*, cum iure dixeris tibi præcepta philosophiæ nota esse teque ea sequi. — *Hæc mea sunt*, alludit ad formulam in iudiciis sollemnem: *meum est*, de qua vide Brisson. De form. l. V. §. 19. Cf. Verg. Ecl. IX. 4: «hæc mea sunt, veteres migrate coloni.» — *teneo*, possideo. Apud iurisconsultos occurrit: «Quod tu meum habes, tenes, possides». Cf. Tib. I. 1, 1—2:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
Et *teneat* culti iugera multa soli.

– – *Liberque ac sapiens*, quia secundum Stoicos solus sapiens liber esse potest. Cf. Cic. De fin. IV. 27, 74. de sapiente Stoico: «Solum præterea formosum, solum *liberum*, solum civem». — *prætoribus*, sc. dextris; cf. adnotationem supra ad vs. 88: «a prætore recessi». — *Iove dextro*, Iove favente, propitio. Cf. adnotationem ad II. 11: «dextro Hercule». — *Iove*, quia Iuppiter vocabatur Liberator et erat libertas in eius tutela; cf. Tac. Ann. XV. 64. et XVI. 34; Pind. Olymp. 12, 1: Ζηνὸς Ἐλευθερίου, ubi scholiasta adnotat: ἐφόρου τῆς ἐλευθερίας.

V. 115—118. *cum fueris nostræ paulo ante farinæ*, eiusdem generis, cuius nos sumus; non melior, quam nos, qui non sumus sapientes. Auctor se ipsum modeste eximit e numero sapientum. — *nostræ... farinæ*, nostri generis. Cf. Suet. Aug. 4: «Cassius Parmensis... ut pistoris... nepotem sic taxat Augustum: Materna tibi farina ex crudissimo Ariciæ pistrino». Cf. proverbialem Hungarorum locutionem: «Őt sem gyúrták más tésztából». — *Pelliculam veterem retines*, naturam tuam non mutas, vulpem ex te non exuis. Cf. Hor. Sat. I. 6, 20—22: «censorque moveret Appius, ingenuo si non essem patre natus, Vel merito, quoniam in propria non *pelle* quiessem» et Porphyr. ad h. l.: «non se continere intra *pelliculam* suam»; Mart. III. 16, 6: «te memento Nunc in *pellicula*, cerdo, tenere tua». — *fronte politus*, externa tantum specie decorus. *Frons* sæpe externam rerum speciem significat; cf. Senec. Cons. ad Helv. 5, 6: «Tum inania et specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil habentia fronti suæ simile»; Cic. ad Fam. I. 9, 17: «Idque non solum fronte atque vultu,

quibus simulatio facillime sustinetur, declarant»; Phædr. IV. 2, 5—6: «Non semper ea sunt, quæ videntur; decipit Frons prima multos». Ceterum Persius hoc loco in metaphoris adhibendis non est sibi constans; de eo enim, qui fronte politus, i. e. externa specie decorus est, non debebat dicere: «Pelliculam veterem retines». — *Astutam vapido servas in pectore volpem*, vitia tua servas in animo. — *Astutam... volpem*, ut Hor. Sat. II. 3, 186: «Astuta ingenuum vulpes imitata leonem».* Homines malos cum vulpe comparare solebant Stoici; cf. Epict. I. 3, 7: Οἱ πλείους δ' ἡμῶν ἀλώπεκες καὶ ὅσα ἐν ζῴοις ἀτυχήματα. Τί γάρ ἐστιν ἄλλο λοίδορος καὶ κακοήθης ἄνθρωπος, ἢ ἀλώπηξ; Cf. etiam Phædri fabulam (App. I. 3.) de vulpe in humanam speciem conversa:

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
Humanam in speciem cum vertisset Iuppiter

* Interpretes non animadverterunt Horatium hoc versu alludere ad fabulam de leone et vulpe (Ἀλώπηξ καὶ λέων), quæ in sylloge fabularum Aesopicarum a Halmio edita (Lipsiæ, Teubner, a. 1860, p. 20. n. 41) legitur: Ἀλώπηξ λέοντι συνῆν ἐν ὑπηρέτου ποοσχήματι· καὶ ἡ μὲν ἄγρας ἐμήνυεν, ὁ δὲ ἐμπίπτων ἐλάμβανεν. Ἑκατέρῳ τοίνυν πρὸς τὴν ἀξίαν διηρεῖτο μερίς. Ζηλοτυπήσασα δὲ ἡ ἀλώπηξ τῶν πλεόνων τὸν λέοντα, θηρᾶν ἀντὶ τοῦ μηνύειν ἤρεῖτο. Καὶ πειρωμένη πολίμνης τι λαβεῖν, κατέστη πρώτη τοῖς θηρῶσιν εἰς θήραμα. Ἄρχεσθαι μᾶλλον ἀσφαλῶς ἄμεινον, ἢ κρατεῖν σφαλερῶς. Quare Sat. II. 3, vss. 182—186:

In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem,

ita sunt interpretandi: si tu in gratia populi captanda Agrippæ liberalitatem imitaris, perdis te ipsum, ut vulpes, quæ leonem imitari voluit.

Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
Scarabæum vidit prorepentem ex angulo
Notamque ad prædam celeri prosiluit gradu.
Superi risere, magnus erubuit pater.
Repudiatam turpemque pellicem expulit
His prosecutus: «Vive, quo digna es, modo,
Quæ nostris uti meritis digne non potes».

— *vapidus*, corruptus; *vappa* enim est vinum corruptum. Cf. Col. XII. 5: «vinum vapidum» et apud Persium ipsum infra V. 148: «vapida pice». — *in pectore*, ubi est animi sedes. — *Quæ dederam supra, relego funemque reduco*, ea, quæ supra (vs. 114.) tibi concesseram (sc. te liberum et sapientem esse), revoco. De metaphora recte scholia: «Habenas meæ licentiæ, quas dederam, traho, dum libertatem, quam tibi concesseram, adimo». Nam habenas, lora, frena *dare* idem significat, quod *relaxare*, *relegere* autem idem, quod *retrahere*, ut *legere funem* dicitur nauta, qui navem solvens funem a ripa ad se trahit, *relegere filum* Theseus, cum e Labyrintho rediens filum Ariadnæ evolutum iterum obvolvendo colligit. Cf. Val. Flac. I. 310–312:

. . . hi celso cornua malo
Expediunt: alii tonsas in marmore summo
Prætentant: prora *funem legit* Argus ab alta;

Ov. Met. VIII. 172–173:

Utque ope virginea nullis iterata priorum
Ianua difficilis *filo* est inventa *relecto*.

Metaphoram autem verbis *dederam* et *relego* inceptam continuat poeta, cum dicit: *funemque reduco*, imagine desumpta a iumentis, quæ fune et freno laxato liberius vagan-

tur, reducto rursus servire coguntur. Cf. Hor. Ep. I. 10, 47–48:

> Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
> Tortum digna sequi potius, quam ducere funem

et Kiesslingii adnotationem ad h. l.: «Das Bild, welches das voraufgegangene *imperat aut servit* in anschaulichem Gleichnis wiederholt, ist, ebenso wie Sat. II. 7, 20: «qui iam contento, iam laxo fune laborat», vom Tier am Strick entlehnt, welches zuweilen seinen Führer mit sich fortreisst und nach sich zieht».

V. 119–121. *Nil tibi concessit ratio*, nihil tibi facere licet, quia nihil recte facere potes. — *ratio*, ratio Stoicorum; cf. adnotationem ad vs. 39: «Et premitur ratione animus». — *digitum exsere, peccas;* Stoicorum sententia sapiens omnia, stultus nihil recte facit. Stultus igitur etiam in minimis rebus peccat, sapiens autem ne in levissimis quidem sine ratione agit. Cf. Epict. fr. 53: Φιλοσοφία φησὶν ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῇ προσήκει; Epict. II. 11, 17: Δίχα αὐτοῦ (τοῦ κανόνος) μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες; Clem. Alex. pædag. II. 10. p. 82. Sylb.: Οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ στωικοί. — *Et quid tam parvum est?* supple: quam digitum exserere. — *Sed nullo ture litabis*, nullo sacrificio adiis impetrabis. — *Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti*, paradoxon Stoicorum; cf. Plut. De aud. pet. 6: Τοῖς στωικοῖς μήτε τι φαῦλον ἀρετῇ προσεῖναι, μήτε κακίᾳ χρηστὸν ἀξιοῦσιν, ἀλλὰ πάντως μὲν ἐν πᾶσιν ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ, περὶ πάντα δ' αὖ κατορθοῦν τὸν ἀστεῖον. — *Hæreat in stultis*, cf. Hor. Sat. I. 3, 75–76:

> Denique quatenus excidi penitus vitium iræ,
> Cetera item nequeunt *stultis hærentia* . . .

— *brevis... semuncia*, exigua semuncia; *brevis* de pondere, ut Hor. Sat. II. 2, 37: «breve pondus».

V. 122—123. *Hæc miscere nefas*, sc. stultitiam cum recto. — *nec cum sis cetera fossor, tris tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli*, ut is, qui artem saltandi non didicit, ne minimam quidem pantomimi partem recte saltare potest, ita stultus, qui philosophiam, vitæ artem, non callet, ne minimas quidem res in vita recte agit. Artem vitæ cum ceteris artibus sæpe comparant Stoici; cf. Cic. de fin. III. 4, 24: «Ut enim histrioni actio, saltatori motus non quivis, sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet; quod genus conveniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinæ similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa insit, non foris petatur extremum, id est artis effectio». — *cetera*, adverbium: τἄλλα, ceterum. — *fossor*, incultus et rudis, ut fossores, homines rustici, esse solent. Cf. Catull. 32, 9—11:

> Hæc cum legas tu, *bellus* ille et *urbanus*
> Suffenus unus caprimulgus aut *fossor*
> Rursus videtur;

Juv. XI. 78—80:

> . . . Curius parvo quæ legerat horto,
> Ipse focis brevibus ponebat holuscula, quæ nunc
> *Squalidus* in magna fastidit compede *fossor*.

De fossore saltante Hor. Carm. III. 18, 15—16:

> Gaudet invisam pepulisse fossor
> Ter pede terram,

quod Persius fortasse respexit. — *Tris tantum ad nume-*

ros, quia in saltando singuli motus habebant suos numeros musicos, ad quos peragebantur; cf. Lucr. II. 631: «Ludunt in numerumque exsultant»; Verg. Ecl. VI. 26—27: «Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere». — *ad numeros ... moveare*, ut Hor. Ep. I. 14, 25—26: «tibicina, cuius *Ad strepitum* salias terræ gravis»; Prop. II. 22, 15—16: «Cur aliquis sacris laniat sua bracchia cultris Et Phrygis insanos cæditur *ad numeros*»; Tib. I. 4, 70: «Et secet *ad* Phrygios vilia membra *modos*» et I. 7, 38: «*Movit* et *ad* certos nescia membra *modos*»; similiter dicitur: ad tibiam canere. — *satyrum moveare*, hoc loco *moveri* idem significat, quod *saltare* et cum accusativo iungitur, ut apud Hor. Ep. II. 2, 125: «Nunc satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur». — *satyrum ... Bathylli*, Bathyllus celeberrimus pantomimus fuit tempore Augusti, a Mæcenate adamatus (Tac. Ann. I. 54.) Sæpe satyrum saltabat, quia pantomimorum ludi versabantur in argumentis mythologicis.

Pars quarta (v. 124—156.) *Qui liber sibi videtur, quia aliorum iussibus parere non cogitur, is meminerit se sub cupiditatum (affectuum, τῶν παθῶν) turpiore etiam iugo teneri. Qui pigritia laborat, eum avaritia instans divitiarum acquirendarum spe vix tandem commovet, ut victa inertia strenue agat; verum eundem blanda luxuria retinet et vita fruendum esse celeriter fugiente monet. Ita certant in homine cupiditates eumque multiplici servitute onerant.*

V. 124—125. *Liber ego*, poeta repetit conclusionem manumissi ex vss. 84—85: «non sum Liberior Bruto». — *Unde datum hoc sumis*; quis tibi concessit hanc affirmationem? *Dare* enim apud philosophos significat: aliquam affirmationem concedere, *sumere* autem: aliquid pro concesso sumere. Ceterum *sumis* est lectio Montepessulani 125., *sentis*

Vaticani et Montepes. 212., ut Hor. Sat. II. 2, 31: «Unde datum hoc *sentis*, lupus hic Tiberinus an alto Captus hiet?» — *tot subdite rebus*, qui tot rebus subiectus es. Cf. Hor. Sat. II. 7, 75--76:

> Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
> Tot tantisque minor?

— *vindicta*, vide adnotationes ad vs. 88: «Vindicta» et 75: «una Quiritem Vertigo facit». — *relaxat*, insolenter hoc loco usurpatum; vindicta enim non dominum, sed domini imperium, quasi frena servitutis, relaxat.

V. 126--129. *I puer*, ut Hor. Sat. I. 10, 92: «I puer atque meo citus hæc subscribe libello». -- *puer*, servus, ut IV. 31: «pueris». — *strigiles... ad balnea defer*, strigilibus utebantur antiqui in balneis, cum oleo se perunxissent, ad corpus destringendum, quare servi strigiles dominis in balnea portare solebant. Cf. Petron c. 91: «video Gitona (servum) cum linteis et strigilibus»; Juv. III. 261--263:

> . . . domus interea secura patellas
> Iam lavat et bucca foculum excitat et sonat unctis
> Striglibus et pleno componit lintea gutto.

— *Crispini*, nomen eius, qui balneas ædificavit. Apud Horatium (Sat. I. 1, 120; 3, 139; 4, 14; II. 7, 45.) nomen philosophi inepti. — *Si increpuit*, si te his verbis increpuit is, qui dominus tuus fuit ante manumissionem. -- *cessas*, imperata non facis, quia non es iam servus. Cf. Hor. Ep. II. 2, 14--15. de servo: «semel hic cessavit, et, ut fit. In scalis latuit metuens pendentis habenas», et Sat. II. 7, 100: «nequam et cessator Davus». — *servitium acre*, servitium durum. -- *nec quicquam extrinsecus intrat, Quod nervos agitet*, nulla externa vi commoveris. Imago a ludo τῶν νευροσπάστων, quo simu-

lacra hominum lignea nervis moventur et agitantur, desumpta, qua usus est etiam Hor. Sat. II. 7, 81—82:

> Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser atque
> Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Primus philosophorum hanc imaginem Plato adhibuit Legg. I. p. 644. E: Τόδε δὲ ἴσμεν, ὅτι ταῦτα τὰ πάθη ἐν ἡμῖν, οἷον νεῦρα ἢ σμήρινθοί τινες ἐνοῦσαι, σπῶσι τε ἡμᾶς καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν ἐναντίαι οὖσαι ἐπ' ἐναντίας πράξεις. Deinde Stoici sæpissime comparabant homines pravis affectibus et cupiditatibus (τὰ πάθη) laborantes iisque parentes cum νευροσπάστοις, ut exempli gratia Marc. Aur. XII. 19: Ἄϊσθου ποτὲ ὅτι κρεῖττόν τι καὶ δαιμονιώτερον ἔχεις ἐν σαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων καὶ καθάπαξ τῶν νευροσπαστούντων σε. Persius hac imagine transitum parat ad sequentia: «Tu non es iam νευρόσπαστον domini, sed tamen νευρόσπαστον es cupiditatum et pravorum affectuum (τῶν παθῶν)». — *Quod nervos agitet*, cf. Apul. De mund. 27. de νευροσπάστοις: «Quando filium membri, quod *agitare* solent, traxerint».

V. 129—131. *sed si intus*, in animo tuo. Sensus loci: cuius in animo affectus (τὰ πάθη) dominantur, etiamsi a domino manumissus est, nihilo minus est servus, quam antea fuit. — *in iecore ægro*, quia iecur est antiquorum sententia sedes affectuum (τῶν παθῶν), qui hominem liberum esse non sinunt; cf. I. 25: «rupto iecore». Ira præsertim et amor in iecore habitant. Cf. Hor. Ep. I. 18, 72: «Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve»; Juv. I. 45: «quanta siccum iecur ardeat ira», VI. 648: «rabie iecur incendente»; Hor. Carm. I. 13, 4: «Fervens difficili bile tumet iecur». — *Nascuntur domini*, affectus (τὰ πάθη), quos Stoici dominos stultorum vocabant. Cf. Epict. II. 1, 28: Ἐπεὶ σύ, ὁ ἄλλους στρέφειν δυνάμενος, οὐδένα ἔχεις κύριον; οὐκ ἀργύριον, οὐ κοράσιον, οὐ

τύραννον: ibid. IV. 1, 86: Μή τι ἁπλῶς τὴν ἐν ἡμῖν ἀκρόπολιν καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν τυράννους ἀποβεβλήκαμεν. — *qui tu impunitior*, ut Hor. Sat. II. 7, 105—106: «qui tu impunitior illa, Quæ parvo sumi nequeunt, obsonia captas?» — *exis*, evadis, effugis. Cf. Vell. Pat. II. 82: «hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus *exierat*, victoriam vocabat». — *Atque*, post comparativum, ut Hor. Epod. 15, 5: «Artius atque hedera procera astringitur ilex.» — *hic*, qui non est manumissus, qui adhuc servus est. — *scutica*, qua domini servos punire solebant; cf. Hor. Sat. I. 5, 119: «Ne scutica dignum horribili sectere flagello.» — *metus... erilis*, metus domini.

V. 132—137. *stertis* ironice pro: *dormis*, ut III. 3: «Sertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat» et III. 58: «Stertis adhuc». — *Avaritia*, ut infra vs. 42. *Luxuria*, personificata . — *heia*, exclamatio hortantis, ut Hor. Sat. I. 1, 18—19: «heia, Quid statis?»; Verg. Aen. IV. 569: «Heia age, rumpe moras»; Cic. De rep. 3, 8: «Heia vero!» — *Rogitas?* interrogatio mirabunda, ut Ter. Andr. 828: «At rogitas?»; Hungarice: «Még kérded?», Germanice: «Du fragst noch?» — *En . . . advehe*, ut Verg. Ecl. VI. 69: «En accipe», Ge. III. 42: «En age». — *saperdam*, cf. scholia: «genus salsamenti, quod ex pisce fit» et Paul. Fest. s. v. (p. 479. ed. Thewrewk): «saperda genus pessimi piscis». — *Ponto*, abl. unde? Optimæ saperdæ erant in palude Mæotide; cf. Athen. III. p. 118. B. VII. p. 308. E; Hesych. s. v. σαπέρδης. — *Castoreum*, erat iam apud antiquos medicamentum sæpissime adhibitum; cf. Cels. De med. III. 20. et VI. 7, 8. Optimum habebatur Ponticum; cf. Verg. Ge. I. 58—59:

> India mittit ebur, molles sua tura Sabæi,
> At Chalybes nudi ferrum virosaque Pontus
> Castorea.

— *stuppas*, cf. Fest. s. v. (p. 460. ed. Thewrewk): «Stuppam linum impolitum appellant Græci.» — *hebenum*, *tus*, merces orientis; cf. Verg. Ge. II. 116—117: «sola India nigrum Fert habenum, solis est turea virga Sabæis.» — *lubrica Coa*, vina Coa; agitur de vino Coo albo sive leucocoo, aqua marina permixto (cf. Plin. N. H. XIV. 73), ægrotantibus apto, quod *lubricum* vocatur, *quia* duram alvum mollit, per intestina facile perlabitur eaque lubrica facit. Cf. Priap. 51: «Sorbumve, ventres *lubricos* moraturum». Poeta ante oculos habuit Hor. Sat. II. 4, 27—29:

> . . . si dura morabitur alvus,
> Mitulus et viles pellent obstantia conchæ
> Et lapathi brevis herba, sed albo non sine *Coo*.
> *Lubrica* nascentes implent conchylia lunæ,

ubi Persius fortasse post *Coo* non interpungens legit: «albo non sine *Coo lubrica*». Cf. Cels. De med. III. 24: «Si purgatio fuit, post eam triduo modice cibum oportet assumere ex media materia et *vinum* bibere *Græcum salsum*, ut resolutio ventris maneat». — *Tolle recens primus piper ex sitiente camelo*, piper Indicum (cf. supra vs. 55: «rugosum piper») ex India camelis potissimum Alexandriam vehebatur; cf. Plin. N. H. VI. 101—106. — *recens primus piper*, quia mercator, qui piper recens primus comparat, maius lucrum habet; cf. Lucil. l. V. vs. 28—29 (ed. Mueller):

> Sicut, cum *primus* ficos propola *recentis*
> Protulit et pretio ingenti dat primitu' paucos.

— *ex sitiente camelo*, camelus propter longum iter per deserta factum sitit. — *Verte aliquid*; scholia: «Negotiare et speciem pro specie commuta». *Vertere*, ut supra (vs. 54.) *mutare*, de mercatura. Eandem significationem habere vide-

tur apud Plaut. Curc. 484: «Vel qui ipsi *vortant* vel qui aliis, ut *vorsentur*, præbent.» — *iura*, sc. falso.

V. 137—139. *Sed Iuppiter audiet*, sc. qui peierantem punit. — *Baro*, stultus; cf. Cic. De fin. II. 23, 76: «Nos barones stupemus.» — *regustatum digito terebrare salinum*, proverbialiter dictum; Græci enim ἁλίαν τρυπᾶν dicunt eum, qui in egestate vivit; summæ certe egestatis est ne salis quidem satis habere. Cf. Apollon. Tyan. Ep. 7: Πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν · ἐμοὶ δ' εἴη τὴν ἁλίαν τρυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ. — *regustatum . . . salinum*, iterum atque iterum gustatum. — *digito terebrare*, cum sal tantum in imo salini fundo sit. — *Contentus*, iungendum cum *terebrare*; *contentus* cum infinitivo, ut Ov. Met. I. 461—462: «Tu face nescio quos esto contentus amores Indagare tua»; Juv. III. 277: «Ut sint contentæ patulas defundere pelves.» — *perages*, sc. vitam; *peragere* absolute positum, ut Græcorum διάγειν. — *vivere cum Iove*, ita, ut Iovis iussa sequaris. De vita boni hominis dicit Marc. Aur. V. 27: συζῆν θεοῖς; Senec. Ep. 31, 7: «Huc et illud accedat, ut perfecta virtus sit, æqualitas ac tenor vitæ per omnia consonans sibi . . . Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis deorum socius esse, non supplex.» — *tendis*, studes; cum infinitivo, ut Hor. Ep. II. 2, 57: «tendunt extorquere poemata»; Verg. Aen. II. 220: «Ille simul manibus tendit divellere nodos»; Juv. X. 154: «tamen ultra pergere tendit».

V. 140—143. *Iam pueris* etc.; homo piger vs. 132. inductus admonitionibus Avaritiæ obtemperans iam navigationem parat. — *pueris*, servis, ut supra vs. 126: «puer» et IV. 31: «pueris». — *pellem*, qua sarcinam involutam portent; cf. Petron. 102: «Ego vos in duas iam pelles coniiciam vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habebo.» — *succinctus*, veste succincta; ii enim, qui se operi alicui

expediebant, vestes suas succingebant. — *oenophorum*, ut vina ad navem portent; cf. Hor. Sat. I. 6, 108—109: «Cum Tiburte via prætorem quinque secuntur Te pueri, lasanum portantes œnophorumque.» — *aptas*, alicui aliquid, ut supra vs. 95: «Sambucam citius caloni aptaveris alto». — *Ocius ad navem*, statim hæc portate ad navem, exclamat dominus servos adhortans; cf. III. 7—8: «Ocius adsit Huc aliquis.» — *trabe*, nave; cf. adnotationem ad I. 89: «fracta te in trabe pictum». — *Aegæum rapias*, Aegæum mare celeriter pernaviges; cf. Stat. Theb. V. 3: «rapere campum»; Verg. Aen. V. 144—145: «Non tam præcipites biiugo certamine campum Corripuere». — *Aegæum*, mare Aegæum, ut Hor. Carm. II. 16, 1—2: «Otium divos rogat in patenti Prensus Aegæo.» — *sollers Luxuria*, quia sollers est in causis laboris effugiendi inveniendis. — *Luxuria*, personificata ut supra vs. 132. *Avaritia*. — *seductum*, cf. adnotationem ad II. 4: «seductis . . . divis».

V. 143—145. *Quo deinde . . . ruis*, ut Verg. Aen. V. 741: «Quo deinde ruis? — *Quid tibi vis?* vituperantis est, ut Hor. Sat. I. 2, 69: «Quid vis tibi,» ibid. II. 6, 29: «Quid tibi vis, insane, et quam rem agis?»; Prop. I. 5, 3: «Quid tibi vis, insane?» — *Calido sub pectore mascula bilis Intumuit;* insanis, furiosus es; nam atra bilis insaniæ causa habebatur. Cf. Senec. Ep. 94, 17: «Bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda»; Hor. Sat. II. 3, 142. de Oreste: «iussit quod splendida bilis» et Ep. II. 2, 137. de insano: «Expulit elleboro morbum bilemque meraco». Vide adnotationem ad III. 8: «vitrea bilis.» — *Calido sub pectore*, pectus propter bilis inflammationem est calidum. — *mascula*, fortis, virilis. Bilis *mascula* vocatur, quia hoc loco hominem ad labores fortiter tolerandos incitat. Cf. Hor. A. P. 402—403: «Tyrtæusque *mares* animos ad Martia bella

Versibus exacuit.» — *Intumuit*, propter inflammationem. — *quam non exstinxerit urna cicutæ*, cuius inflammationem ne urna quidem cicutæ (i. e. liquoris e cicuta facti) exstinxerit. Cicuta nimium calorem sedat; cf. Plin. N. H. XXV. §53: «Fit ex eo (sc. ex suco cicutæ) et ad refrigerandum stomachum malagma . . . Folia quoque *tumorem* omnem doloremque et epiphoras sedant»; medicamentum insaniæ est apud Hor. Ep. II. 2, 52—54:

> . . . sed quod non desit, habentem
> Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,
> Ni melius dormire putem, quam scribere versus?

— *urna cicutæ*, maxima copia cicutæ; urna enim, mensura liquidorum, est dimidia pars amphoræ et 24 sextarios continet.

V. 146—148. *Tu mare transsilias?* cf. Hor. Carm. I. 3 24: «Non tangenda rates transsiliunt vada.» — *torta cannabe fulto Cena sit in transtro*, tu rudente pro sedili, transtro pro mensa utaris. Rudens enim in orbem convolutus nautis sedile præbet. — *fulto*, de homine sedente, ut de cubante Verg. Aen. VII. 93—94:

> Centum lanigeros mactabat rite bidentes
> Atque harum *effultus* tergo stratisque iacebat
> Velleribus;

Juv. III. 82: «*Fultusque* toro meliore recumbet?» — *torta cannabe*, rudens, qui ex cannabe contorta fit; imitatur Ov. Fast. III. 587: «parant *torto* subducere carbasa *lino*.» — *in transtro*, ubi remiges sedebant; cf. Verg. Aen. IV. 573:

> . . . vigilate viri et considite transtris.

— *Veientanumque rubellum*, vinum rubrum e regione

Veienti. Cf. Hor. Sat. II. 3, 143—144: «Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus trulla vappamque profestis» et adnotationem Porphyrionis ad hunc locum: «Pessimum vinum in Veienti nascitur»; Mart. I. 103, 9: «Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli.» — *rubellum*, cf. Plin. N. H. XIV. 23: «Proxima dignitas Nomentanis (vitibus) rubente materia, quapropter quidam *rubellas* appellavere vineas.» — *vapida læsum pice*, corruptum pice admixta, quæ vinum interdum vapidum facit; antiqui enim vina picare solebant et hoc loco agitur de vino picato corrupto. Cf. Plin. N. H. XIV. 120: «Africa gypso mitigat asperitatem (vini) nec non aliquibus partibus sui calce. Græcia argilla aut marmore aut sale aut mari lenitatem excitat, Italiæ pars aliqua crapulana *pice*»; ibid 124: «Ratio autem condiendi musta in primo fervore, qui novem diebus cum plurimum peragitur, adspersu *picis*, ut odor vino contingat et saporis quædam acumina. Vehementius id fieri arbitrantur crudo flore resinæ excitarique lenitatem, e diverso crapula compesci feritatem nimiam frangique virus aut, ubi pigra lenitas torpeat, virus addi. Liguriæ maxime Circumpadanisque mustis [crapulæ] utilitas discernitur hoc modo: pugnacibus mustis crapulæ plus inditur, lenibus parcius. Sunt qui et utroque condiri velint, nec non aliqua est musti picea natura vitiumque musto quibusdam in locis iterum sponte fervere, qua calamitate deperit sapor *vappæque* accipit nomen». Inde *vinum picatum* apud Colum. XII. 23. — *vapida*, cf. adnotationem ad V. 117: «vapido . . . in pectore.» — *sessilis obba;* vas vinarium. Hoc loco *sessilis* vocatur, quia latiore fundo instructa bene sedet. Pira similis formæ sessilia appellat Plin. N. H. XV. 56: «Incerta nominum causa est barbaricis Veneriisque, quæ colorata dicunt, regiis, quæ minimo pediculo sessilia».

V. 149—150. *hic*, Romæ. — *quincunce modesto*, as usurarius erat apud Romanos 1% per menses singulos, per totum annum 12%; *quincunx* igitur est ex nostra ratione 5%. $^{5}/_{12}$ assis. Quincuncem *modestum* vocat, i. e. usuras leviores. Cf. Scæv. Dig. 46, 3, 102. §. 3. — *Nutrieras*, auxeras; usuræ enim augent pecuniam. Cf. Hor. Ep. I. 18, 35: «nummos alienos pascet.» — *pergant . . . sudare*, assidue sudent; cf. Gell. VI. (VII.) 3: «Optimos fidissimosque socios defensum conservatumque pergit», i. e. defendere et conservare non desinit. — *avidos . . . deunces*, ex nostra ratione 11%. Deunces *avidos* vocat, quia tantas usuras optare avari hominis erat. Cf. Lucan. I. 181: «avidum fenus». — *sudare*, quasi magno cum labore ex se exprimere. — *sudare deunces; sudare* cum accusativo, ut Verg. Ecl. IV. 30: «sudabunt roscida mella».

V. 151—153. *Indulge genio*, laute vivas, noli te fraudare gaudiis vitæ. Sententia antiquorum, qui vitæ gaudiis fruitur, Genio suo favet; cf. Hor. Carm. III. 17, 10: «Cras genium mero Placabis et porco bimestri». Ep. II. 1, 143—144: «Tellurem porco, Silvanum lacte piabant, Floribus et vino Genium memorem brevis ævi», A. P. 209—210: «vinoque diurno Placari Genius festis impune diebus»; Senec. Ep. 95, 41: «Quid est cena sumptuosa flagitiosius . . . si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hoc et Genio suo præstet»; Plaut. Pers. II. 3, 11: «Genio meo multa bona faciam». Contra illi, qui gaudiis vitæ non fruuntur, proverbiali locutione dicuntur Genium suum defraudare et cum eo belligerare; cf. Ter. Phorm. 44: «Suum defraudans genium compersit miser»; Plaut. Truc. 184: «Isti, qui cum Geniis suis belligerant, parcipromi.» — *carpamus dulcia*, fruamur voluptatibus; cf. Hor. Carm. I. 11, 8: «Carpe diem»; Mart. VII. 47, 11: «fugitivaque gaudia carpe.» —

nostrum est, Quod vivis; tantum hæc vita nostra est, nam post mortem nihil sumus; præter hanc vitam brevem nihil habemus, nam, quæ post mortem sunt, nihil ad nos pertinent. — *Quod vivis; vivere* cum accusativo, ut supra III. 67: «quidnam victuri» et Senec. Ep. 65, 18: «(sapiens) velut sacramento rogatus hoc, quod vivit, stipendium putat»; Juv. XII. 128: «Vivat Pacuvius quæso vel Nestora totum.» — *cinis et manes et fabula fies;* cf. Hor. Carm. I. 4, 18: «iam te premet nox fabulæque Manes»; Ter. Hec. 620: «nos iam fabula sumus.» — *Vive memor leti;* cf. Hor. Sat. II. 6, 96—97: «Dum licet, in rebus iucundis vive beatus, Vive memor, quam sis ævi brevis» et Ep. II. 1, 144: «Genium memorem brevis ævi.» — *fugit hora, hoc, quod loquor, inde est;* cf. Hor. Carm. I. 11, 7—8: «dum loquimur, fugerit invida Aetas» et Carm. IV. 7, 7—8: «Immortalia ne speres, monet annus et almum Quæ rapit hora diem.» — *hoc, quod loquor, inde est;* tempus, quod loquendo transigimus, pars est horæ fugitivæ et inde perit.

V. 154—156. *En quid agis?* Eadem verba initio versus III. 5. — *Duplici in diversum scinderis hamo,* ut piscis, qui duas escas in aqua videt, nescit, quo se vertat, ita homo diversis studiis distractus nescit, luxuriamne sequatur an avaritiam. Comparatio est Platonica; cf. Cic. Senect. 13, 44: «Divine enim Plato *escam* malorum appellat voluptatem, quod ea videlicet homines capiantur, ut pisces»; Plat. Tim. p. 69. D: κακοῦ δέλεαρ. — *in diversum scinderis,* in diversas partes traheris; cf. Verg. Aen. II. 39: «Scinditur incertum studia in contraria vulgus.» — *hamo,* metaphorice, ut Hor. Ep. 7, 74: «Occultum visus decurrere piscis ad hamum» et Prop. IV. 1, 141—142:

Et bene cum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.

— *Huncine an hunc sequeris?* Avaritiam an Luxuriam? — *Subeas alternus oportet Ancipiti obsequio dominos*, diversis cupiditatibus alternatim te subiicias oportet; cf. Senec. Ep. 37, 3: «Hos tam graves dominos (cupiditates), interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittit a te sapientia». — *Subeas ... dominos;* cf. Hor. Ep. I. 10, 39—41:

> Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
> Libertate caret, *dominum vehet* improbus atque
> Serviet æternum, quia parvo nesciet uti.

— *alternus oberres*, sensu intransitivo: procul domo domini vageris, ut servus ille, quem antiqui *erronem* vocabant. Cf. Digest. XXI. 1, 17, 14. Ulpiani definitionem: «*Erronem* ita definit Labeo, pusillum fugitivum esse, et ex diverso fugitivum magnum erronem: sed proprie erronem sic definimus: qui quidem non fugit, sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit».

Pars quinta (v. 157—175.) *Nec si quis quando devicit in animo suo cupiditates, statim servitium se abiecisse liberumque factum esse glorietur, nam manent priscæ servitutis vestigia, ut iuvenis ille comicus, qui ab amica exclusus iraque commotus nunquam ad eam se rediturum iuravit, cum illa eum arcessit, statim iugum repetit.*

V. 157—160. *Nec tu*, qui cupiditatibus interdum repugnare conatur neque tamen eas radicitus ex animo suo evellit, similis est cani, qui catenam quidem rupit, sed fugiens maximam eius partem secum trahit. — *obstiteris semel*, ergo non semper. — *Rupi iam vincula*, iam liber sum; cf. Ovid. Am. III. 11, 3: «Scilicet asserui iam me rupique catenas». — *Nam et luctata canis nodum abripit*, eadem fere imagine utuntur Hor. Sat. II. 7, 69—71:

Quæres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis, o totiens servus. Quæ belua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

et Senec. De vit. be. 16, 3: «Hic, qui ad superiora progressus est et altius se extulit, laxam catenam trahit nondum liber, iam tamen pro libero.» — *luctata*, post magnam contentionem; cf. Senec. Nat. Quæst. II. 17: «Dum luctatur per obstantia atque intercisa vadere.» — *nodum*, nodum catenæ, Hungarice *lánczszem*, Germanice *Kettenring*. — *a collo trahitur pars longa catenæ* ita, ut facile possit denuo capi.

V. 161—163. *Dave, cito* etc.; recte scholia: «Hunc locum de Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adulescens alloquitur tamquam amore Chrysidis meretricis derelicto idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit . . . Quod exemplum inducit ad similitudinem vitiorum, a quibus recedere non possumus». Menandri Eunuchum, ut notum est, in Latinum transtulit Terentius, sed nomina personarum mutavit: ex Chærestrato enim Phædriam, ex Davo Parmenonem, ex Chryside Thaidem fecit. Persius nomina Menandrea retinuit, sed præter Menandrum ipsum etiam Horatium ante oculos habuit, qui eodem exemplo utitur Sat. II. 3, 259—271. non Menandri ipsius, sed Terentii vestigia legens. — *Dave*, vulgare servi comici nomen. — *hoc credas iubeo; iubeo* cum coniunctivo, ut Plaut. Men. V. 5, 52: «Tu servos iube hunc ad me ferant», Stich. II. 2, 71: «iube famulos rem divinam mihi apparent»; Ter. Heaut. IV. 4, 15: «iube maneat.» — *finire dolores Præteritos meditor*, amori meo finem facere volo; imitatur Hor. Sat. II. 3, 263: «An potius mediter finire labores?» — *crudum . . . unguem Adrodens*, quod facere solent, qui solli-

citi vel quodam animi dolore occupati sunt; cf. Prop. II. 4, 3—4. de amante: «Et sæpe immeritos corrumpes dentibus ungues» et III. 25, 4: «Ungue meam morso sæpe querere fidem.» — *crudum ... Adrodens*, ita adrodens, ut crudus (cruentus) fiat; *crudum* enim, contractum ex *cruidum*, referendum est ad radicem *cru*, unde etiam *cruor* et *cruentus*. Cf. Hor. Sat. I. 10, 71: «vivos et roderet unguis» et Kiesslingii adnotationem ad hunc locum: «Nicht blos die Spitzen der Nägel, sondern bis auf das lebendige Fleisch der Fingerspitzen, wie der Eifersüchtige bei Persius».

V. 163—166. *siccis*, sobriis; cf. Hor. Carm. I. 18, 3: «Siccis omnia nam dura deus proposuit», Ep. I. 19, 8—9: «forum putealque Libonis Mandabo siccis.» — *dedecus obstem Cognatis*, ut dedecus stem ante cognatos; *obstare* enim proprio sensu significat: stare ante aut adversus aliquid. Cf. Plaut. Stich. 287: «ob viam obstare»; Stat. Theb. IV. 17: «summis in postibus obstare», Silv. I. 2, 23: «dominæ niveis a vultibus obstare.» — *dedecus*, homo probrosus, ut Petron. 74, 9. dicit aliquem «purgamentum dedecusque» prædicare. — *rem patriam ... Limen ad obscœnum frangam;* rem familiarem ad limen meretricis, velut navem ad scopulos, frangam; Romani enim ruinam rei familiaris sæpe cum naufragio comparant. Cf. Cic. Sest. 8, 18: «Ne in Scyllæo illo æris alieni tamquam in freto ad columnam adhæresceret»; præterea sæpissime apud Ciceronem: «naufragium rei familiaris» vel «patrimonii», ut Phil. XII. 8, 19; Hor. Sat. II. 3, 18—19: «postquam omnis res mea Ianum Ad medium *fracta* est.» — *rumore sinistro*, mala fama; cf. Tac. Ann. I. 74: «sinistri sermones» et VI. 32: «sinistra fama»; Hor. Sat. I. 2, 61—62. de iis, qui meretrices amant: «bonam deperdere famam, Rem patris oblimare». — *Limen ad obscœnum*, ad limen meretricis, ubi

iuvenis ab amica exclusus stat. Cf. Hor. Sat. II. 3, 259—260, de eodem Chærestrato: «amator Exclusus» et 264: «exclusit, revocat» et Ter. Eun. I. 1, 4: «exclusit, revocat». *Obscœnum*, quia meretricis est; cf. apud Prop. I. 16, 9—10. verba ianuae meretricis: «Nec possum infamis dominæ defendere noctes, Nobilis *obscœnis* tradita carminibus.» — *dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face cantat*, iuvenis post nocturnam comissationem ebrius cum face ante fores meretricis, a qua exclusus est, stat et cantat. — *Chrysidis*, nomen meretricis, apud Terentium Thais. — *udas . . . ante fores*, fores propter pluviam udæ sunt; cf. verba amatoris ab amica exclusi apud Hor. Carm. III. 10, 19—20: «Non hoc semper erit liminis aut *aquæ Cœlestis* patiens latus» et Tibull. I. 2, 31—32: «Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis, Non mihi, cum multa decidit imber aqua» et Ov. Ar. Am. II. 237. de amatore: «Sæpe fores imbrem cælesti nube solutum». - - *Ebrius*, cf. Ov. Fast V. 339—340: «Ebrius ad durum formosæ limen amicæ Cantat.» *exstincta cum face*; cf. Hor. Sat. I. 4, 48—52:

> . . . At pater ardens
> Sævit, quod meretrice nepos insanus amica
> Filius uxorem grandi cum dote recuset,
> *Ebrius* et, magnum quod dedecus, ambulet ante
> Noctem cum *facibus*;

Prop. I. 16, 8: «exclusi signa iacere faces». Fax autem iuvenis exstincta est propter pluviam. - - *canto*, canto carmen, quod amatores exclusi cantare solent, i. e. παρακλαυσιθύρου (cf. Plut. Erot. 8.) Huius παρακλαυσιθύρου exempla exstant apud Hor. Carm. III. 10. et Ov. Am. I. 6. Prop. I. 16.

V. 167—168. *Euge*, exclamatio approbantis. Davus enim Chærestrati consilium probat eumque turpi illo amore iam liberum putat. Cf. adnotationem ad I. 49: «Euge tuum.» — *puer*, etiam de iuvenibus usurpatur, ut Cic. Ep. ad Fam. XII. 25. 4. et Phil. IV. 1, 3. Octavianum undeviginti annos natum et Sil. It. XIII. 704. Scipionem vicesimum annum iam egressum puerum appellat. — *sapias*, sis prudens. — *dis depellentibus*, qui malum avertunt, averruncant. Cf. *averruncus* apud Varr. L. L. VII. 102. Gell. V. 12, 14. *Iuppiter depulsor* occurrit Murat. inscr. 9, 8; 1977, 3. et 4 (cf. Orell. inscr. 2232); Græce ἀλεξίκακος, ἀποτρόπαιος, ἀπωσίκακος. — *agnam Percute*, ut dis pro salute tua gratiam referas, agnam immola. — *Percute*, ut *ferire*, vox in sacrificiis sollemnis; cf. Ov. Trist. IV. 2, 5—6:

> Candidaque adducta collum *percussa* securi
> Victima purpureo sanguine pulset humum.

Etiam *foedus percutere* occurrit pro: ferire. — *Sed censen, plorabit, Dave, relicta?* interrogat iuvenis inconstans, quem consilii iam- -iam pænitet. — *censen* pro: censesne, ut I. 2: «min» pro: mihine.

V. 169- -171. *Nugaris?* Tu igitur non serio agis? interrogat servus propter inconstantiam domini indignabundus. - - *Solea, puer, obiurgabere rubra;* tu iam meretrici manus dabis et ab ea turpi poena afficieris. Cf. Terent. Eun. 67 –70. (verba Parmenonis ad Phædriam):

> Hæc verba illa una me hercle falsa lacrimula,
> Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
> Restinguet et te ultro accusabit et dabis
> Ultro ei supplicium.

— *Solea*, iam apud antiquos muliebre imperium significa-

bat, quia Omphale Herculem solea pulsavit. Cf. Ter. Eun. 1026—1028: «Egone? ut Thaidi me dedam et faciam, quod iubeat? — Quid est? — Qui minus, quam Hercules servivit Omphalæ? — Exemplum placet. Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!»; Lucian. Deor. dial. 13, 2. de Hercule: παιόμενος ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης χρυσῷ σανδάλῳ. — *puer*, ut supra vs. 167. — *obiurgabere*, punieris, ut Senec. De ir. III. 12: «obiurgare verberibus»; Suet. Oth. 2: «flagris obiurgaretur». — *Ne trepidare velis atque artos rodere casses*, ut feræ, cum e plagis, quibus constricti sunt, se liberare volunt: nunquam enim te e plagis meretricis liberabis. Huc pertinent Menandri verba (fr. 3.): Μὴ θεομάχει μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε. — *trepidare*, ut Prop. II. 4, 5—6:

> . . . primo iuvenes trepidant in amore feroces,
> Dehinc domiti posthæc æqua et iniqua ferunt.

— *si vocet*, si te revocet meretrix. — «*Haud mora*», statim ibo.

V. 172—175. *Quidnam igitur faciam? Nec nunc, cum arcessat et ultro Supplicet, accedam?* verba Chærestrati; cf. Ter. Eun. 1—2:

> Quid igitur faciam? Non eam? Ne nunc quidem,
> Quom arcessor ultro?

et Hor. Sat. II. 3, 262—263: «ne nunc, cum me vocet ultro, Accedam?»; Menand. (fr. 1.): Εἶτα τί ποιήσω; — *Nec nunc*, ne nunc quidem. — *totus et integer*, incolumis; si nullam tui partem ibi reliquisti. — *illinc*, e domo meretricis. — *nec nunc*, supple: accedas. — *Hic, hic, quod quærimus, hic est*; in hac re (sc. in victoria de cupiditatibus reportata) est vera libertas. Cf. Hor. Ep. I. 17, 39: «Hic

est aut nusquam, quod quærimus» et Ep. I. 11, 29: «Quod petis, hic est.» — *festuca*, vindicta cf. Plaut. Mil. 961: «An festuca facta e serva libera est?» et adnotationem supra ad vss. 75. et 88. — *lictor quam iactat*, cf. adnotationem ad vs. 75. — *ineptus*, ut qui veram libertatem dare non potest.

Pars sexta (v. 176—188.) *Liber dici non potest, qui ambitioni obnoxius liberalem agit idemque superstitione et prava deorum formidine laborat. Unde colligitur neminem esse liberum, qui affectu (πάθος) quodam (ut e. gr. avaritia, luxuria, turpi amore, ambitione, superstitione) laboret.*

V. 176—179. *Ius habet ille sui;* estne sui iuris, estne liber? — *palpo quem tollit hiantem Cretata Ambitio;* solebant interpretes *palpo* pro nominativo (palpo-onis) accipere et cum *ille* iungere, quamquam huius vocis apud alios scriptores nullum exstat exemplum. Sed meliorem interpretandi viam monstrabit nobis Buecheler (Rhein. Mus. t. 42. p. 472.): «Solebant *palpo* ad superiora referre coniunctum cum *ille* sic, ut *ille erro* vel *nebulo*, neque tamen ullum nominis huius exemplum innotuit et incisio versus ac subsequens enuntiatio, ut isto, quem vides, modo mutetur distinctio (scilicet ut comma post *sui*, non post *palpo* ponatur), suadet: palpo hominem ambitio percutit, suis blandimentis ita obstupefacit, ut hiante ore sequatur, quo illa ducit». Est igitur *palpo* hoc loco ablativus e nominativo *palpum* sive *palpus*. — *tollit*, secum rapit; ceterum Montepessulanus 212 et Vaticanus habent: *ducit*. — *hiantem*, avidum, sc. laudis et honorum. Cf. Verg. Ge. II. 508—509:

> Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus *hiantem*
> Corripuit;

Hor. Sat. I. 2, 88: «emptorem inducat *hiantem*» et Kiesslingii adnotationem ad h. l.: «*hiantem* bildlich, von dem bereits zuschnappenden Raubtier auf den auf die Ware erpichten Käufer übertragen». — *cretata*, candidata, quia petitores honorum toga candida utebantur, ea vero creta addita candorem accipiebat teste Isid. Or. XIX. 24, 6. — *Ambitio*, personificata, ut supra vs. 131. Avaritia et 142. Luxuria. — *Vigila et cicer ingere* etc.; verba Ambitionis, quibus hominem honorum cupidum cohortatur. — *Vigila*, omne studium adhibe; cf. Cic. Fat. 6: «Vigila, Chrysippe, ne causam tuam deseras». — *cicer ingere large Rixanti populo*, agitur de missilibus, quæ festis diebus is, qui ludos edebat, in circo populo iacienda curavit. Cf. Suet. Ner. 11. de ludis *maximis:* «Sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies: singula cotidie milia avium cuiusque generis, multiplex penus, *tesseræ frumentariæ*»; Suet. Dom. 4. de septimontiali sacro Domitiano imperante celebrato: «omne genus rerum missilia sparsit (Domitianus) et quia maior pars intra popularia deciderat, quinquagenas *tesseras* in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit». — *cicer*, non cicer ipsum spargebatur, sed tesseræ, quas qui arripiebant, poterant aliquantum ciceris accipere sumptibus eius, qui missilia spargenda curavit. Cf. Suetonii locos supra laudatos. Missile cicer commemorat etiam Hor. Sat. II. 3, 182—183:

> In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
> Latus ut in circo spatiere.

Cicere vescebantur pauperes; cf. Hor. A. P. 249: «fricti ciceris probat et nucis emptor»; Mart. I. 41, 6: «otiosæ Vendit qui madidum cicer coronæ»; Hor. Sat. I. 6, 114—115. de cena frugali: «inde domum me Ad porri et ciceris

refero laganique catinum». — *Rixanti populo*, homines rixantur, cum missilia arripere volunt. — *nostra ut Floralia*, Floralia, quibus tu ludos edidisti. Curam ludorum habebant temporibus reipublicæ liberæ ædiles, inde ab anno 22. a. Chr. n. prætores. Floralia Romæ celebrabantur a die 28. Apr. usque ad diem 3. Maii. Sed Persii verba non ad Romana Floralia referenda esse censet Buecheler (Rhein. Mus. t. 42. p. 472.): «Non recte hoc loco utuntur, qui urbis Romæ ludis enarrandis eum adhibent .Persius, municipalis eques, si qua in saturis politica tangit, non ad forum Romanum respicere solet, sed ad oppidanos mores aut paganos. Illud dictum clare inlustrat titulus repertus Albæ Marsorum (CIL IX. 3947) et vicissim Persius titulum, ibi enim *L. Septimio Philadespoto pro suis meritis et Floralibus cippus positus* fertur sepulcralis. In Samniticis regionibus Flusasia religio quanto opere viguerit, inscriptiones docent, ciceris largitionem Hor. Sat. II. 3, 181. ædili adsignat prætorive Canusino». — *Aprici meminisse senes*, ut ii, qui ludos nostros spectant, etiam post multos annos, cum iam senes facti sint, eos in memoriam revocent apricantes et varia fabulantes. — *Aprici* apricantes; cf. Verg. Aen. V. 128: «apricis statio gratissima mergis». Senibus gratissima est apricatio; cf. Cic. Senect. 17, 57: «Ubi enim potest illa ætas (senectus) aut calescere vel *apricatione* melius vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?»; Juv. XI. 203. de senibus: «Nostra bibat vernum contracta cuticula solem».

V. 179—184. *Quid pulchrius? At cum* etc.; quid potest esse pulchrius et libero homine dignius, quam tanta *liberalitas;* neque tamen vere liberum esse eum, qui tantum propter ambitionem sit liberalis, inde elucet, quod idem, qui honorum cupidus liberalem agit, turpissimis Iudæorum,

Phrygum et Aegyptiorum superstitionibus servit, quo nihil potest esse homine libero et Romano indignius. Hoc loco autem admonendi sumus etiam superstitionem a Stoicis τοῖς πάθεσιν adnumerari esseque genus quoddam *timoris*; cf. Hor. Sat. II. 3, 295. de superstitione: «Quone malo mentem concussa? *timore* deorum» (i. e. δεισιδαιμονίᾳ); de timore autem, genere τῶν παθῶν, cf. quæ ad III. 115. adnotavimus. — *Herodis venere dies*, dies festi Iudæorum, i. e. sabbata. Herodes Magnus, Iudææ rex, Augusti amicitia honoratus, erat Romanis notissimus; hoc loco ponitur pro populo suo. — *unctaque* etc.: vss. 180- -183. poeta describit, quomodo pauperes Iudæi, quorum magnus erat eo tempore Romæ numerus, sabbata celebraverint. — *unctaque fenestra Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ:* Iudæi die Veneris (Hungarice: *péntek*, Germanice: *Freitag*) ante tenebras obortas, quod est sabbati initium, lucernam accendunt, quia sabbati tempore ignem accendere religione vetantur. Solebant autem antiquis temporibus, quod hodie quoque faciunt morum veterum tenaces, in honorem festi plurimas lucernas accendere, quem morem imitabantur sectatores eorum Græci et Romani sabbata celebrantes. Cf. Senec. Ep. 95, 47: «Quomodo sint di colendi, solet præcipi: *accendere* aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine di egent et ne homines quidem delectantur fuligine»; Ioseph. c. Apion. II. 39, 282: οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων οὐδητισοῦ οὐδὲ βάρβαρον οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος διαπεφοίτηκεν καὶ αἱ νηστεῖαι καὶ λύχνων ἀναχαύσεις καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν οὐ νενομισμένων παρατετήρηται. — *unctaque fenestra*, sordida fenestra; alludit ad sordes pauperum Iudæorum infames. Cf. Hor. Ep. I. 16, 23: «manibus tremor incidat *unctis*» et Sat. II. 4, 78 -79: «Magna movet stomacho fastidia, si

puer *unctis* Tractavit calicem manibus». et Sat. II. 2, 68—69: «nec sic, ut simplex Nævius, *unctam* Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum». — *fenestra Dispositæ... lucernæ;* lucernas in fenestra sabbatis ponere hodie non est moris apud Iudæos; videntur hoc Romæ ideo fecisse, quia in hac urbe per longum tempus nullas patiebantur persecutiones poterantque ritus suos religiosos impune ostendare. Ceterum pauperes Iudæi, Romæ in angustis insularum cellis habitantes, ipsis locorum angustiis cogebantur ita facere, ne fuligine lucernarum læderentur. Cf. Senec. Ep. 95, 47. supra laud. Similis erat mos Romanorum ianuas festis diebus lucernis ornandi; cf. Juv. XII. 91—92:

> Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos
> Et matutinis operatur festa lucernis.

Sed pauperes in insulis habitantes non habebant ianuas (Hungarice *utczaajtó*, Germanice *Hausthür);* Persius igitur fortasse ob id ipsum Iudæos deridet, quod pro ianuis fenestras lucernis ornant. — *pinguem nebulam vomuere lucernæ; nebula* pro fumo lucernarum, ut Tertull. Apol. 35: «quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula *nebulabant*», ubi tamen alii legunt: *enubilabant.* — *Portantes violas*, lucernæ violis ornatæ sunt, ut hodie quoque Iudæi sabbatis lychnucho speciosiore utuntur. Ceterum Romani festis diebus simulacra Larum solebant violis coronare; cf. Juv. XII. 89—90:

> Hic nostrum placabo Iovem Laribusque paternis
> Tura dabo atque omnis violæ iactabo colores.

— *rubrumque amplexa catinum Cauda natat thynni*, die Veneris vesperi etiam pauperrimus Iudæus lautiore cena

fruitur et nunc quoque moris est apud eos hoc die piscem edere. — *rubrumque... catinum*, vas fictile vilissimum, quo pauperes uti solebant; cf. Lucil. l. XIII. vs. 5 (ed. Mueller): «Et non, pauper uti, Samio curtoque catino», ubi Nonius (398, 24) adnotat: «Samium est testeum«; Juv. XI. 108—109:

> Ponebant igitur Tusco farrata catino:
> Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

— *amplexa;* catinus pauperis Iudæi tam parvus est, ut caudam thynni, piscis magni, nisi in orbem convolutam, capere non possit. Cauda igitur in orbem convoluta internam catini rotundi partem amplecti videtur. Cf. Hor. Sat. II. 4, 76—77:

> Immane est vitium dare milia terna macello
> Angustoque vagos pisces urgere catino.

— *Cauda... thynni*, thynnus egregius piscis est, sed pauper Iudæus vilissimam eius partem, quæ caudæ proxima est minoreque pretio potest comparari, comedit. Cf. Plin. N. H. IX. 48. de thynnis: «Vilissima ex his, quæ caudæ proxima, quia pingui carent, probatissima, quæ faucibus». — *natat*, sc. in iure *(sauce)* aliquo. — *tumet alba fidelia vino;* die Veneris vesperi etiam pauperrimi Iudæi vinum bibunt, quod antequam gustent, paterfamilias preces sollemnes, *kiddusch* vocatas, dicit. — *tumet... vino*, plena est; cf. Phædr. II. 7, 3: «tumentes multo saccos hordeo». — *alba fidelia;* vas fictile vilissimum, non vino servando destinatum, quo pauper Iudæus utitur pro lagœna. Cf. adnotationem ad III. 22: «non cocta fidelia». — *Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles;* non pudet te, virum Romanum, sabbata una cum Iudæis, fæce populi, celebrare. Sab-

bata multi celebrabant Romæ Iudæorum sectatores; cf. Hor. Sat. I. 9, 68—70:

. . . meliori
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin tu
Curtis Iudæis oppedere?

Tib. I. 3, 17—18:

Aut ego sum causatus aves aut omina dira
Saturnive sacram me tenuisse diem;

Ov. A. A. I. 75—76:

Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis
Cultaque Iudæo septima sacra Syro;

ibid. I. 415—416:

Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis,
Culta Palæstino septima festa Syro;

Ov. Rem. am. 217—218:

Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur
Sabbata nec damnis Allia nota suis;

Iuv. XIV. 96—97. de proselytis Iudæorum:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Nil præter nubes et cæli numen adorant.

Cf. etiam fragmentum dialogi Senecæ *(De superstitione)* apud Augustin. De civ. dei VI. 11: «Hic (Seneca) inter alias civilis theologiæ superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudæorum et maxime *sabbata*, inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem ætatis suæ perdant vacando et

multa in tempore urgentia non agendo lædantur... De illis sane Iudæis cum loqueretur, ait: «Cum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt». — *Labra moves tacitus*, tacite precaris; cf. Hor. Ep. I. 16, 60: «Labra movet metuens audiri». — *recutitaque sabbata*, sabbata recutitorum (circumcisorum) Iudæorum; cf. Mart. V. 305: «recutiti Iudæi». — *sabbata palles*, metuis, religioso metu celebras. *Pallere* cum accusativo pro: metuere, ut supra III. 43: «Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor» et Hor. Carm. III. 27, 26—28: «scatentem Beluis pontum mediasque fraudes Palluit audax»; Petron. 122: «pavitans fraternos palluit ictus». Cf. Juv. XIV. 96. de proselytis Iudæorum: «*metuentem* sabbata patrem» et 101: «Iudaicum ediscunt et servant ac *metuunt* ius»; Grut. Inscr. 721, 11: «religioni Iudaicæ *metuent*». Proselyti autem φοβούμενοι vel σεβόμενοι τὸν θεὸν vocabantur; cf. Act. apost. 13, 16 et 26; 16, 14; Ioseph. Antiqu. Iud. XIV. 7, 2.

V. 185—188. *nigri lemures*, umbræ mortuorum noctu vagantes. Cf. Ov. Fast. V. 483—484:

> Mox etiam lemures animas dixere silentum;
> Hic sensus verbi, vis ea vocis erat;

Hor. Ep. II. 2, 206—209:

> . . . caret tibi pectus inani
> *Ambitione?* Caret mortis formidine et ira?
> Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
> *Nocturnos lemures* portentaque Thessala rides?

Ubi notandum est ambitionem et superstitionem ab Horatio una commemorari, unde Persium etiam in hac re Horatii vestigia legisse non temere colligas. Eadem quattuor

πάθη, quæ Persius in hac satira (vss. 132—157 et 176—188) tractat, una commemorat Hor. Sat. II. 3, 78—80; «*Ambitione* mala aut *argenti* pallet amore, Quisquis *luxuria* tristive *superstitione* Aut alio mentis morbo calet.» — *ovoque pericula rupto;* ad φοσκοπίαν, vaticinationem ex ovis, referendum. Cf. scholia: «Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum capite an latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius». — *grandes Galli;* sacerdotes Cybeles castrati, qui grandi statura fuisse videntur; cf. Juv. VI. 512—514:

> . . , matrisque deum chorus intrat et *ingens*
> Semivir, obscæno facies reverenda minori,
> Mollia qui rapta secuit genitalia testa.

— *cum sistro lusca sacerdos;* sacerdotes Isidis, deæ Aegyptiæ; in sacris enim eius sollemnis erat sistri usus. Cf. Ov. Met. IX. 776—778. de Iside:

> Te dea, te quondam tuaque hæc insignia vidi,
> Cunctaque cognovi, sonitum comitantiaque æra
> *Sistrorum* memorique animo tua iussa notavi.

— *lusca;* Isis eos, quibus irascebatur, cæcos reddere putabatur; cf. Ov. Ex Pont. I. 1, 51—54:

> Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
> Isidis Isiacos ante sedere focos.
> Alter, ob huic similem privatus lumine culpam,
> Clamabat media se meruisse via;

Juv. XIII. 92—93:

Decernat, quodcunque volet, de corpore nostro
Isis et irato feriat mea lumina sistro;

Anth. Pal. XI. 115:

Ἥν τιν' ἔχῃς ἐχθρόν, Διονύσιε, μὴ καταράσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ μηδὲ τὸν Ἁρποκράτην
Μηδ' εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ θεός.

Hoc loco igitur lusca sacerdos est, quæ in se iam experta est iram deæ. Ceterum in Aegypto iam antiquis temporibus frequens erat cæcitas, unde iræ deorum Aegyptiorum tribuebatur. — *Incussere deos*, insolenter dictum pro: incussere tibi metum deorum. Simile est apud Verg. Aen. V. 679: «Excussaque pectore Iuno est.» — *inflantis corpora, si;* qui corpora morbis inflant, si etc. Cf. III. 63: «cum iam cutis ægra tumebit» et 95: «tacite surgit tibi lutea pellis». Etiam apud Juvenalem morbos minatur sacerdos Cybeles VI. 517—518:

Grande sonat metuique iubet septembris et austri
Adventum.

— *si non Prædictum ter mane caput gustaveris ali;* de hac superstitione nihil traditum est præter ea, quæ apud Persium leguntur. — *Prædictum*; præscriptum, imperatum. Cf. Verg. Aen. III. 435—437:

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Prædicam et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnæ primum prece numen adora;

Stat. Achill. II. 145: «prædictaque dona ferebat.» — *caput... ali* (allium sativum L.), ut apud Columellam VI. 34, 1; occurrit etiam *caput porri, ulpici.*

Finis (v. 189—191.) *Talia docentem ridet imperitum vulgus.*

V. 189—191. *Dixeris hæc inter . . . centuriones*, de centurionibus, ab omni liberali doctrina alienis et philosophiæ Græcæ contemptoribus, cf. III. 77. sqq. — *varicosus*, varices habent centuriones in pedibus, quia diu multumque stare et magna itinere pedibus facere coguntur. Cf. Juv. VI. 397: «varicosus fiet haruspex» et Friedländeri adnotationem ad h. l.: «varicosus fiet vom langen Stehen bei der Eingeweideschau, für die er unaufhörlich in Anspruch genommen wird»; Juv. XVI. 14. de centurionibus in iudicio: «magnæ ad subsellia suræ.» — *crassum ridet*, ut homines inculti solent; cf. adnotationem ad III. 110: «subrisit molle». — *Pulfennius;* hoc nomen occurrit etiam CIL. X. 4864, 4873, 4985; IX. 3354. — *centum Græcos curto centusse licetur*. Græcam philosophiam nihil valere ait; cf. III. 78. sqq. — *Græcos*, sc. philosophos. — *curto*, non integro, sed longo usu detrito. Cf. Plut. Adv. Col. p. 1108. C: Τούτων οὐδὲν ἀπολείπουσιν οἱ περὶ γαστέρα τἀγαθὸν εἶναι βοῶντες, οὐκ ἂν δὲ τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας *τετρημένου χαλκοῦ* πριάμενοι.

SATIRA VI.

Ad Cæsium Bassum de recto bonorum usu.

Exordium (v. 1—6.) *In hac satira stultitiam eorum notaturus, qui rei familiari augendæ intenti omnia gaudia sibi denegant neque tamen unquam sibi satisfaciunt, Cæsium Bassum, poetam sibi amicissimum, alloquitur eumque percontatur, num iam in villam Sabinam recesserit ibique carminibus pangendis operam det.**

V. 1—6. *bruma*, hiems, ut Hor. Carm. IV. 7, 9—12:

> Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit æstas
> Interitura, simul
> Pomifer autumnus fruges effuderit, et iam
> *Bruma* recurrit iners

et Ep. I. 7, 10: «Quodsi bruma nives Albanis illinet agris». — *Basse;* Cæsius Bassus, poeta lyricus, de quo vide Quint. Inst. Or. X. 10, 96: «Lyricorum . . . Horatius fere solus legi dignus . . . Si quem adicere velis, is erit Cæsius Bassus» et scholia: «Hanc satiram scribit ad Cæsium Bassum lyricum poetam, quem fama est in prædiis suis positum ardente Vesuvio, monte Campaniæ, et late ignibus abundante cum villa sua ustum. Hic ergo dum viveret, Roma ad Sabinos decesserat, ubi hiemali tempore in loco calido car-

* Etiam in huius satiræ argumento enarrando — mutatis mutandis — Jahnium sum secutus.

mina scribebat». In vita Persii de commentario Valerii Probi sublata legimus: «Amicos habuit (Persius) a prima adulescentia Cæsium Bassum poetam» etc. et paulo inferius: «Leviter conrexit (Persii satiras) Cornutus et Cæsio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum.» — *foco . . . Sabino*, recte scholia: «Hic (sc. Bassus) ergo dum viveret, Roma ad Sabinos secesserat, ubi hiemali tempore in loco calido carmina scribebat». Bassus igitur ex urbe in villam secessit non solum, ut tumultum urbis, sed etiam, ut frigus domorum Romanarum vitaret. Idem fecit Horatius, quem Damasippus indignabundus rogat, cur carmina non scribat, cum ex urbe in villam tepidam secesserit, Sat. II. 3, 9—10:

> Atqui voltus erat multa et præclara minantis,
> Si vacuum tepido cepisset villula tecto.

Cur autem villa Sabina calidior fuerit, quam domus Romana, elucet ex iis, quæ ad I. 72: «focus» exposuimus. — *Sabino;* fortasse ad hunc Bassum referri potest titulus in CIL. XIV. 3471., unde elucet C. Cæsium Bassum quendam habuisse fundum Sublacensem. — *Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ;* iam operam das carminibus lyricis scribendis in secessu tuo? Lyra et chordæ a pectine quasi vitam accipiunt. — *tetrico . . . pectine; pecten* est hoc loco plectrum, quo chordæ pulsantur; cf. Verg. Aen. VI. 645—647:

> Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
> Obloquitur numeris septem discrimina vocum
> Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno;

Juv. VI. 382: «crispo numerantur pectine chordæ». *Pecten* Bassi *tetricus* vocatur ad severam et gravem carminum eius indolem significandam; cf. Liv. I. 18: «Tetrica ac tri-

stis disciplina Sabinorum» et Ov. Amor. III, 8, 59: «exæquet tetricas licet illa *Sabinas.*» — *Mire opifex numeris veterum primordia vocum Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ*, tu, qui numeros (i. e. metra) veterum lyricorum Græcorum mira arte aptas fidibus Latinis. — *opifex*, artifex; cf. Quint. Inst. Or. II. 15, 4: «esse rhetoricen persuadendi opificem». *Opifex* iungendum cum *intendisse* (vs. 4.); de usu infinitivi cf. ad I. 59: «imitari mobilis.» — *numeris . . . primordia vocum Atque . . . strepitum . . . intendisse; intendere* de voce lyræ, ut Verg. Aen. VII. 513—514 de cornu: «cornuque recurvo Tartaream intendit vocem»; cf. etiam Aen. IX. 776. de lyra: «numerosque intendere nervis». Similia sunt apud Propert. II. 1, 9: «Sive lyræ *carmen* digitis *percussit* eburnis» et Ovid. Trist. IV. 10, 50: «Dum *ferit* Ausonia *carmina* culta lyra.» — *numeri veterum*, adiectivum *veterum* non est cum *vocum*, sed cum *numeris* iungendum; cf. scholia: «O mirande artifex varietate numerorum, quam *de metris Græcis* excerpis,» unde elucet *numeros veterum* significare metra veterum lyricorum Græcorum. — *primordia vocum . . . fidis . . . Latinæ*, non solum ad *strepitum* (vs. 4.), sed etiam ad *vocum* referendus est genitivus possessivus: *fidis Latinæ*. Imitatur Lucretium, apud quem *primordia rerum* (i. e. elementa rerum) significant atomos Epicuri et *primordia* (i. e. elementa) *vocum* atomos, e quibus vox humana constat. Cf. Lucr. IV. 526—531:

> Corpoream *vocem* quoque enim constare fatendum est
> Et *sonitum*, quoniam possunt impellere sensus.
> Præterea radit vox fauces sæpe facitque
> Asperiora foras gradiens arteria clamor,
> Quippe, per angustum turba maiore coorta
> Ire foras ubi cœperunt *primordia vocum*

et 533—534:

> Haud igitur dubium est, quin *voces* verbaque constent
> Corporeis e principiis, ubi lædere possint.

Sed imitatur etiam Verg. Aen. VI. 646—647:

> Obloquitur numeris *septem discrimina vocum*
> Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno,

ubi *septem discrimina vocum* significant septem chordas lyræ. Ergo apud Persium *primordia* (i. e. elementa) *vocum fidis Latinæ* significant chordas lyræ Latinæ, cum revera soni singularum chordarum sint elementa concentus lyræ. — *marem strepitum*, virilem sonum; referendum ad seria Bassi carmina. Cf. Hor. A. P. 402—403:

> Tyrtæusque maris animos ad Martia bella
> Versibus exacuit.

— *strepitum fidis*, ut Hor. Carm. IV. 3, 17—18:

> O testudinis aureæ
> Dulcem quæ *strepitum*, Pieri, temperas.

— *fidis . . . Latinæ*, numero singulari, ut Hor. Carm. III. 17, 18: «fide Teia»; cf. etiam Hor. Carm. IV. 3, 23: «Romanæ fidicen lyræ» et Ep. I. 19, 32—33: «Latinus... fidicen» et Ep. II. 2, 143: «fidibus . . . Latinis». Hoc loco *fidis Latina* opponitur *numeris veterum* (vs. 3.) lyricorum Græcorum, ut Hor. Carm. III. 30, 13—14: «Princeps *Aeolium* carmen ad *Italos* deduxisse modos». Cf. Hor. Ep. I. 3, 11—12: «fidibusne Latinis Thebanos aptare modos.» — *intendisse*, inf. perf. pro inf. præs.; cf. adnotationem ad I. 42: «meruisse.» — *iuvenes agitare iocos*, referendum ad amatoria Bassi carmina; cf. Ov. Trist. V. 1, 7—8:

Intiger et lætus læta et *iuvenalia* lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget;

ibid. II. 493—494:

. . . non tristia carmina feci,
Sed tristis nostros poena secuta *iocos;*

Hor. A. P. 83—85. de poesi lyrica:

Musa dedit *fidibus* divos puerosque deorum
Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et *iuvenum curas* et libera vina referre.

— *iuvenes . . . iocos*, ut Ov. Met. VII. 295: «iuvenes annos.» — *agitare iocos*, iocari, ut Ov. Met. III. 318—320:

Forte Iovem memorant, diffusum nectare, curas
Seposuisse graves vacuaque *agitasse* remissos
Cum Iunone *iocos.*

— *pollice honesto*, recte scholia: «Quia citharizantes non solum plectro, verum etiam digito de chordis sonos educunt»; cf. Verg. Aen. VI. 647: «Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno». *Honesto*, quia Bassus etiam in iocis servavit honestatem. — *Egregius lusisse*, de usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «Imitari mobilis» et I. 42: «meriusse». *Lusisse* idem fere significat, quod supra vs. 5: »iuvenes agitare iocos». Cf. Hor. Ep. II. 2. 141—143:

Nimirum sapere est abiectis utile *nugis*
Et tempestivum pueris concedere *ludum*
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,

ubi *nugæ* et *ludus* referenda sunt ad lyricam Horatii poesin, præsertim ad carmina amatoria; Ov. Trist. I. 9, 61. de

Arte Amatoria: «Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen.» — *senex*, opponitur *iuvenibus iocis* (vs. 5.) De ætate Cæsii Bassi cf., quæ Buecheler exposuit (Rhein. Mus. t. 41. p. 458.) ad hunc locum: «Hiernach richtet sich die Zeitbestimmung des Cæsius: er war jetzt, im Spätjahr 61, etwa doppelt so alt, wie Persius, dem er und Cornutus seit 50 in Freundschaft verbunden waren, schrieb seine Lyrica vor 61, wohl später die Metrik an Nero, edirte den Persius wohl 63 vor Lucans und Petrons Tod, sicher bei Lebzeiten Neros vor 68, und stand, wenn er bei Ausbruch des Vesuvs 79 starb, wie ein Scholiast als *fama* meldet (cf. adnotationem ad vs. 1: «Basse»), damals in den Siebzigen».

Pars prima (v. 6—17.) *Poeta narrat se Lunam secessisse ibique egregio loci situ, quem iam Ennius civibus suis commendaverit, gaudere, de reliquis rebus securum et contentum, etiamsi omnes peioribus orti melius haberent.*

V. 6—8. *Ligus ora;* cf. scholia: «Se ipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat». *Ligus* pro adiectivo, ut Tac. Hist. II. 13: «femina Ligus». — *Intepet*, ora maritima Liguriæ hodie quoque tepido per hiemem aëre excellit et ab ægrotis libentissime frequentatur. Romani, ut asperitatem hiemis effugerent, oram maritimam petebant; cf. Hor. Ep. I. 7, 10—11:

> Quodsi bruma nives Albanis inlinet agris,
> Ad mare descendet vates tuus.

Ad verbum *intependi* cf. Prop. IV. 1, 124: «Et lacus æstivis intepet Umber aquis» et Stat. Theb. II. 376: «Qua Lernæa palus ambustaque sontibus alte Intepet hydra vadis.» — «*hibernatque... mare*, a navigiis vacat. Recte scholia: «sicut naves hibernare dicimus, cum non navigant, sic et

mare hibernare dicimus, dum non navigatur.» — *meum mare*, cuius accola sum et quod mihi carum est. — *qua latus* etc.; Lunæ portum describit; cf. infra ad vs. 9. — *latus ingens Dant scopuli;* scopuli portum cingentes ingens latus dant mari incluso, ut ventos a portu arceant. *Dare* pro: obiicere, ut Verg. Aen. I. 104—105: «tum prora avertit et undis Dat latus». Cf. etiam Verg. Aen. I. 159—160: «insula portum Efficit obiectu laterum.» — *scopuli*, qui portum Lunæ cingunt, de quo Strab. V. p. 222. dicit: περικλείεται δ' ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς. — *multa . . . valle*, vallem appellat sinum maris scopulis utriumque inclusum. — *se . . . receptat*, quasi receptacula sibi quærit, ut tutum sit a tempestatibus. Cf. Verg. Ge. I. 336: «Frigida Saturni quo sese stella receptet».

V. 9—11. *Lunai portum, est operæ, cognoscite, cives;* versus ex Annalibus Ennii sumptus, Ann. 16. apud Vahlenum in editione fragmentorum Ennii. — *Lunai portum*, Luna est oppidum in confinio Liguriæ et Etruriæ situm; de portu (hodie *porto di Spezzia)* cf. supra vss. 7—8. et scholia ad vs. 1: «Se autem dicit Persius apud Liguriam fuisse in loco, ubi portus naturali flexu curvatus fluctus in se recipit, qui propter curvationem portus Lunæ vocatur». Sinus igitur in modum lunæ curvatus nomen dedit oppido, quod Græci Σελήνην vocabant; cf. Strab. V. p. 222. *Lunai*, antiqua genitivi forma, quæ apud Ennium sæpe occurrit. — *est operæ*, idem significat, quod: est operæ pretium; cf. Plaut. Truc. 883: «Operæ mi ubi erit, ad te venero»; Liv. I. 26. 4: «non operæ est». — *Cor . . . Enni*, sapientia Ennii; periphrasis more epicorum pro: *Ennius cordatus* i. e. sapiens; similiter affectat epicam gravitatem Hor. Sat. II. 1, 71—72:

Quin ubi se a volgo et scæna in secreta remorant
Virtus Scipiadæ et mitis sapientia Læli.

Cor autem sæpe pro mente et prudentia ponitur, ut in versu Furii Bibaculi apud Suet. De gramm. 11: «En *cor* Zenodoti, en iecur Cratetis» et ipse Ennius *cordatos* vocabat prudentes, ut Ann. 335: «Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus». Persius certe etiam in hac re Ennium imitatus est. — *Enni*, Ennius, pœseos Romanæ antiquioris facile princeps, auctor Annalium. - - *postquam destertuit esse Mœonides, Quintus pavone ex Pythagoreo;* Ennius in principio Annalium narravit se somniantem Homerum vidisse, unde edoctus esset Homeri animam secundum Pythagoræ de metempsychosi doctrinam in pavonem, ex pavone autem in suum corpus transmigrasse. Cf. Cic. Acad. pr. II. 16, 51; Tertull. De anim. 33; Lucr. I. 117. sqq. et Persii prol. 2. Hanc narrationem tangit Hor. Ep. II. 1, 50—51:

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

Persius igitur dicit Ennium tam prudens consilium de portu Lunæ cognoscendo dedisse, postquam nimio furore poetico et somniis Pythagoreis liberatus ad se redierit. - - *destertuit esse Mœonides*, desiit somniare se aliquando Homerum fuisse. *Destertuit* iocose; cf. adnotationem ad III. 3: «Stertimus». *Mœonides*, Homerus, quia Colophone aut Smyrnæ, in Lydia, natus esse ferebatur; cf. Ov. Trist. IV. 10. 22, Am. III. 9, 25. - - *Quintus pavone ex Pythagoreo*, ex pavone secundum Pythagoræ doctrinam, quam Homerus ei explicavit, Quintus Ennius factus. Cf. Homeri verba

apud Ennium (Annal. 15. ed. Vahlen): «memini me fieri pavum».

V. 12—13. *Hic*, ad portum Lunæ. — *securus volgi*, supple: *sum;* quid vulgus dicat faciatve, non curo; *securus* cum genitivo, ut Verg. Aen. I. 350: «securus amorum» et VII. 304: «securi pelagi atque mei.» — *quid præparet auster*, ut Verg. Ge. I. 462: «Quid cogitet umidus auster.» — *auster Infelix pecori*, auster, ventus a meridie flans, hodie *scirocco* vocatus, non pecori solum, sed etiam hominibus et segetibus nocere putabatur. Cf. Verg. Ge. I. 444: «Arboribusque satisque Notus pecorique sinister»; Hor. Carm. II. 14, 15—16:

Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus austrum

et Sat. II. 6, 18—19:

Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster
Autumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.

— *securus* supple: *sum;* quid præparet auster, non curo.

V. 13—17. *et*, iungendum cum *usque recusem* vs. 15. — *angulus ille Vicini*, intellegendum de angulo agri, ut Hor. Sat. II. 6, 8—9: «o si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum»; Liv. XXVI. 41, 16: «extremus angulus agri Bruttii.» — *adeo*, emphatice dictum: si non solum vicinus, sed, quod maius est, omnes, qui peioribus orti sunt, ditescant; cf. Cic. Cat. I. 4, 9: «qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent». — *Ditescant orti peioribus*, homines parentibus ignobilibus orti; ubi sciendum est Persium fuisse equitem Romanum. Imitatur Hor. Ep. I. 6, 20—23:

Navus mane forum et vespertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et (indignum, quod sit *peioribus ortus*)
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.

— *usque recusem;* semper et constanter recusem, ut Hor. Sat. II. 7, 24: «Si quid ad illa deus subito te agat, usque recuses». — *Curvus;* qualis est habitus eorum, qui curis oppressi sunt. — *ob id minui;* macrescere ob id, quia angulus vicini nostro *pinguior;* cf. Hor. Ep. I. 2, 57: «Invidus alterius macrescit rebus opimis» et Carm. II. 16, 30: «Longa Tithonum *minuit senectus.*» — *senio,* cura et ægrimonia, quæ sunt comites invidiæ; cf. adnotationem ad I. 26: «seniumque» et Hor. Ep. I. 7, 85: «amore senescit habendi.» — *cenare sine uncto,* sine cibis large unctis, i. e. delicatis; cf. III. 102: «Uncta... pulmentaria» et IV. 17: «uncta... patella». *Unctum* pro substantivo, ut Hor. A. P. 422: «unctum recte qui ponere possit»; cf. etiam Hor. Ep. I. 15, 44: «ubi quid melius contingit et unctius.» — *signum in vapida naso tetigisse lagoena;* accurate inspicere, an signum in lagœnâ vinum vapidum continente læsum sit. Solebant enim antiqui lagœnas vini, ut etiam alia utensilia, anulo signatorio obsignare; sed ridiculæ avaritiæ erat hoc facere in lagœna vapida. Cf. Hor. Ep. I. 2, 134: «Et signo læso non insanire lagœnæ»; Mart. IX. 88, 7: «Nunc signat meus anulus lagœnam»; Tac. Ann. II. 2: «Inridebantur et Græci comites ac vilissima utensilium anulo clausa»; Plin. N. H. XXXII. 26: «Nunc cibi quoque ac potus anulo vindicantur a rapina». — *in vapida... lagoena,* in lagœna, quæ iam sæpius aperta erat et in qua vinum reliquum ob id ipsum vapidum factum est. Cf. Juv. XIV. 129—132:

Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri nec non differre in tempora cenæ
Alterius concham æstivam cum parte lacerti
Signatam

— *naso tetigisse*, ut ii solent, qui rem aliquam accurate inspiciunt. *Tetigisse*, inf. perf. pro inf. præs.; cf. adnotationem ad I. 42: «meruisse».

Pars secunda (v. 18—24.) *Verum non ita omnes sentiunt: hic triparcus est, ille prodigus. Sane bonis, quæ quis habet, liberaliter utendum est neque tamen luxuriose vivendum.*

V. 18- 22. *Discrepet his alius;* dissentiat a me in his rebus, qui vult: ego non curo. *Discrepare* cum dativo, ut Hor. Sat. I. 6, 92—93: «longe mea discrepat istis Et vox et ratio» et Ep. II. 2, 193—194: «Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet» et Sat. II. 3, 108—109: «qui discrepat istis, Qui nummos aurumque recondit». — *Geminos, horoscope, varo Producis genio;* homines adeo diversi sunt, ut ne gemini quidem, qui sub uno sidere nascuntur, eadem indole utantur: sæpe enim alter avarus est, alter prodigus. Cf. Hor. Ep. II. 2, 183—189:

Cur alter fratrum cessare et ludere et ungui
Præferat Herodis palmetis pinguibus, alter
Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ mortalis, in unum
Quodque caput voltu mutabilis, albus et ater;

et Sat. II. 1, 26—29:

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia.

— *horoscope;* horoscopus est constellatio, sub qua homo nascitur, unde astrologorum sententia tota eius vita pendet. Cf. Manil. III. 186. sqq. Poeta astrologiam tangit, ut supra III. 45. sqq. — *varo . . . genio,* indole diversa; varus est proprie, qui crura distorta habet, unde vara dicuntur diversa, ut apud Hor. Sat. II. 3, 56: «Alterum et huic varum et nihilo sapientius». *Genius* pro indole, ut etiam Hor. Ep. II. 2, 187—189. supra laud. diversos geminorum mores genio cuiusque tribuit. Cf. adnotationem ad IV. 27: «genioque sinistro». — *Producis,* gignis, ut Plaut. Rud. 1173: «Ego is sum, qui te produxi, pater»; Lucil. XXVI. 89. (ed. Mueller): «producunt . . . liberos»; Prop. IV. 1, 89: «cum geminos produceret Arria natos»; Senec. Ep. 104, 23: «magnanimos nos natura produxit.» — *solis natalibus,* quos antiqui epulis celebrare solebant. Cum vss. 19—21. cf. Hor. Sat. II. 2, 59—62. de avaro, quem locum Persius ante oculos habuit:

Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat.

— *olus siccum,* quod opponitur uncto; vide supra vs. 16. et adnotationem ad h. l. — *muria,* liquor salsus, in quo pisces (salsamenta) servabantur. Avaritia etiam ex eo elucet, quod *olus siccum,* i. e. oleo non unctum, muria tinguit; debebat enim olus oleo cum muria mixto perfundere.

Cf. Hor. Sat. II. 4, 63--65. de iure (quod Gallice *sauce* vocatur) simplici:

. . . . Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit
Non alia, quam qua Byzantia putuit orca.

Avarus igitur olus muria mera perfundit pro oleo cum muria mixto, quod maioris est pretii. — *vafer*, quia fallere vult convivas, quibus muriam meram dat pro oleo cum muria mixto. — *in calice empta*, muriam avarus non domi servat, sed, si quando opus est, pauxillum *(in calice)* emit. — *Ipse sacrum inrorans patinæ piper:* hoc ipse facit, ne multum defundatur, ut avarus loco Horatii supra laudato (Sat. II. 2, 61—62.) oleum rancidum «cornu ipse bilibri Caulibus instillat.» — *sacrum... piper*, avarus piperi tambuam sacro parcit. Cf. Hor. Sat. I. 1, 70--72:

. . . congestis undique saccis
Indormis inhians et tamquam parcere *sacris*
Cogeris,

et Sat. II. 3, 109—110:

Qui nummos aurumque recondit nescius uti
Compositis metuensque velut contingere *sacrum*.

— *inrorans*, parce defundans, ut avarus loco Horatii supra laudato (Sat. II. 2, 62) oleum caulibus «instillat», i. e. guttatim defundit. — *bona dente Grandia... peragit*, lautissimis epulis rem familiarem perdit. Cf. Hor. Ep. I. 15, 39--40: «Non hercule miror... si qui comedunt bona»; Ov. Met. VIII. 847: «demisso in viscera censu»; Juv. XI. 39—40: «ære paterno Ac rebus mersis in ventrem.» — *magnanimus... puer*, ironice, tamquam magno animo

opus sit ei, ut rem familiarem epulis consumere audeat; cf. Hor. Ep. I. 16, 26—28:

> Mænius, ut rebus maternis atque paternis
> *Fortiter* absumptis urbanus cœpit haberi
> Scurra . . .

— *peragit,* consumit; cf. Plin. N. H. IX. 60, 86. de cibo digerendo: «Omnem cibum statim peregit».

V. 22—24. *Utar ego, utar,* sc. bonis meis; cf. Hor. Ep. II. 2, 190—192, quem locum Persius etiam in iis, quæ infra de herede dicit, ante oculos habuit:

> *Utar* et ex modico, quantum res poscet, acervo
> Tollam nec metuam, quid de me iudicet heres,
> Quod non plura datis invenerit;

ibid. I. 7, 57: «Et properare loco et cessare et quærere et *uti.*» — *Nec rhombos ideo libertis ponere lautus;* neque adeo lautus, ut libertis meis ad cenam invitatis rhombum apponam. Manumissi enim a dominis clientum loco habebantur et solebant ad cenam invitari. Quam viles cibi potusque tali occasione clientibus a patronis dati sint, docemur Juv. V. 24. sqq. — *rhombos,* piscis marinus magni pretii, gulonibus Romanis gratissimus; cf. Hor. Sat. I. 2, 115—116: «Num esuriens fastidis omnia præter Pavonem rhombumque». De rhombo ingenti magnitudine, imperatori Domitiano donato agit Juvenalis Sat. IV. — *ponere;* cf. adnotationem ad I. 53: «ponere.» — *ponere lautus,* de usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *lautus,* liberalis et prodigus; cf. Mart. I. 99, 2—3:

> Sed tam prodigus atque liberalis
> Et tam lautus eras . . .

— *Nec tenuis sollers turdarum nosse salivas*; neque adeo sollers, ut saporem turdarum a sapore turdorum discernere queam. Cf. scholia: «nec adeo in hac re callidus sum, ut turdorum sapores discernam. Solent enim quidam gulæ dediti tantæ subtilitatis habere palatum, ut cognoscant turdos, si acinarius an cellarius aut vivarius sit, et si *masculus* sit an *femina.*» — *tenuis*, subtiliter discernendas; cf. adnotationem ad V. 93: «tenvia rerum Officia.» — *sollers... nosse*, ut V. 37: «fallere sollers»; de usu infinitivi cf. adnotationem ad I. 59: «imitari mobilis.» — *turdarum*, turda pro: turdus femina, insolenter; cf. Serg. expl. in Don. p. 494, 22. (GL. ed. Keil t. IV.) Turdus erat Romanis in deliciis; cf. Hor. Sat. II. 5, 10—11: «turdus Sive aliud privum dabitur tibi» et Ep. I. 15, 40—41: «obeso Nil melius turdo»; Mart. XIII. 92:

Inter aves turdus si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

— *salivas*, pro: sapore; saporem enim tum sentimus, cum cibi in ore nostro saliva dissolvuntur. Cf. Prop. IV. 8, 38: «Et Methymnæi Græca saliva meri»; Plin. N. H. XIV. 61: «Divus Augustus Setinum (vinum) prætulit cunctis et fere secuti principes, confessa propter experimenta, non temere eruditatibus noxiis ab ea saliva»; ibid. XXIII. 40: «Sua cuique vino saliva innocentissima est».

Pars tertia (v. 25—33.) *Annuæ fruges secure possunt consumi, cum novus annus industriis etiam novos fructus afferat; et, si amico cuidam, quia naufragio omnia perdidit, succurrendum esse iubet officium, plus etiam faciendum est et res familiaris imminuenda.*

V. 25—26. *Messe tenus propria vive;* consume annuos fructus agrorum tuorum, sed non plura. — *granaria* . . .

emole; fructus annuos in granario congestos molendo consume. Cf. adnotationem ad V. 110: «granaria laxes.» — *fas est,* parenthesis, ut supra vs. 9: «est operæ». — *Quid metuas?* sine sollicitudine potes fructibus annuis uti. — *Occa,* agrum cole; cf. Hor. Ep. II. 2, 161: «Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas.» — *seges altera in herba est;* nova seges succrescit tibi veterem consumenti. *In herba* esse dicitur seges, quæ iam virescit, sed nondum aristas procreavit; cf. Verg. Ge. I. 112: «Luxuriem segetum tenera depascit in herba»; Ov. Met. VIII. 290: «Is modo crescentes segetes depascit in herba»; unde ad spem transfertur, ut Ov. Her. XVI. 263: «Sed nimium properas et adhuc tua messis in herba est»; Tac. Dial. 9: «omnis illa laus velut in herba vel flore præcepta ad nullam certam et solidam pervenit frugem».

V. 27—31. *At vocat officium,* sc. officium amici, quod amico egenti succurri iubet. Cf. Juv. III. 239: «Si vocat officium». — *trabe rupta,* nave fracta; cf. adnotationem ad I. 89: «fracta... in trabe». — *Bruttia saxa;* quia, ut vs. 29. docemur, in mari Ionio navigavit. — *saxa Prendit,* postquam ad litus enatavit; cf. Verg. Aen. VI. 360. de Palinuro naufrago: «Prensantemque uncis manibus capita aspera montis.» — *amicus inops,* naufragio inops factus. — *remque omnem,* omnia, quæ habuit. — *surdaque vota,* vota a diis non exaudita, cf. Hor. Epod. 10, 18—20: «Preces et *aversum* ad Jovem, *Ionius* udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit», quem locum Persius procul dubio ante oculos habuit; ut enim sæpe cæcum vocatur, quod videre non possumus, ita surdum, quod non auditur; cf. adnotationem ad IV. 44: «cæcum vulnus» et Prop. III. 5, 58: «Istius tibi sit surda sine arte lyra»; Juv. XIII. 193—194: «quos diri conscia facti Mens habet attonitos et surdo ver-

bere cædit.» — *Condidit,* sepelivit; cf. Tac. Hist. V. 5: «Corpora condere quam cremare e more Aegyptio»; Sen. Ep. 23, 23: «Alexandrum intemperantia bibendi condidit»; Arnob. I. 46: «prodire ab aggeribus (i. e. sepulcris) conditos». — *Ionio,* in mari Ionio; cf. V. 142: «Aegæum rapias» et Verg. Aen. III. 211: «insulæ Ionio in magno». — *iacet ipse in litore,* postquam enatavit. — *una Ingentes de puppe dei,* quorum tutelæ frustra se commendavit; videtur naufragus partem puppis a nave revulsam apprehendisse et ita ad litus enatasse. Antiqui enim simulacrum dei illius, cuius tutelæ navem commendabant, affigebant puppi vocabantque *tutelam.* Cf. Verg. Aen. X. 171: «aurato fulgebat Apolline puppis»; Senec. Ep. 76, 13: «Navis bona dicitur non quæ pretiosis coloribus picta est... nec cuius tutela ebore cælata est»; Lactant. Div. Ist. I. 11, 19: «navis... tutelam habuit in aquila figuratam». — *Ingentes,* quo etiam magnitudo ingens navis fractæ significatur. — *dei,* navis igitur plures deos habuit pro tutela; cf. Hor. Carm. I. 14, 9—10. de nave: «non tibi sunt integra lintea, Non di, quos iterum pressa voces malo», Ov. Trist. I. 4, 7—8: «Monte nec inferior proræ puppique recurvæ Insilit et pictos verberat unda deos» — *obvia mergis,* mergorum præda est, quidquid mare ad litus eiecit. Cf. Hor. Epod. 10, 21—22:

> Opima quodsi præda curvo litore
> Porrecta mergos iuveris.

— *Costa ratis;* cf. Plin. N. H. XIII. 63: «Nec minus spina celebratur in eadem gente duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima navium *costis*». — *ratis laceræ,* navis fractæ; cf. Ov. Her. II. 45: «At laceras etiam puppes furiosa refeci», Ar. am. I. 412: «Vix

tenuit *lacerœ* naufraga membra *ratis*» et lb. 277—278: «*lacerœ* ... fracta tenentem Membra *ratis*».

V. 31—33. *Nunc et de cœspite vivo Frange aliquid;* nunc non solum de frugibus in granario conditis (cf. supra vs. 25.) da ei, sed etiam partem agri concede. *Cœspes vivus* est hoc loco ager virens; Cf. Hor. Carm. I. 19, 13—14: «hic vivum mihi cæspitem, hic Verbenas, pueri, ponite»; Ov. Met. IV. 300—301: «stagni tamen ultima vivo Cæspite cinguntur». Sensus loci: amicorum causa non solum e reditu annuo largiri, sed etiam de capite aliquid detrahere licet. Poeta enim, cum *cœspitem vivum* diceret, videtur ante oculos habuisse locutiones illas, ubi caput (Hungarice *tőke*, Germanice *Kapital)* nominatur *vivum*, ut Cic. Flacc. 91: «Dat de lucro, nihil detrahit de *vivo*» et Verr. 3, 118: «de *vivo* igitur erat aliquid resecandum». — *largire inopi*, sc. id, quod de cæspite vivo fregisti; da ei partem agri. — *ne pictus oberret Cærulea in tabula;* ne more naufragorum mendicare cogatur; cf. adnotationem ad I. 89: «fracta te in trabe pictum Ex umero portes». — *Cærulea in tabula*, quia pictura mare turbidum repræsentat; cf. Juv. XIV. 301—302: «mersa rate naufragus assem Dum rogat et picta se tempestate tuetur». *Cæruleum* autem est epitheton maris et rerum omnium marinarum.

Pars quarta (v. 33—41.) *Heres quidem iratus iusta funeris parce tantum persolvet nec probabit vivendi rationem, quam sequeris, et, ut olim Bestius, luxuriem et Græca philosophia corruptam vitam culpabit. Sed talia iudicia post mortem quis curet?*

V. 33—36. *cenam funeris;* quæ funere peracto amicis et necessariis mortui ab herede parabatur, — *heres Negleget;* quod erat res pudenda, quia epulæ funebres luxuriosissimæ esse solebant, immo haud raro populo universo

dabantur. Cf. Cic. pro Mur. 36, 75: «cum epulum Q. Maximus P. Africani patrui sui nomine populo Romano daret»; Suet. Cæs. 26: «(Cæsar) munus populo epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam». — *iratus*, iungendum cum sequenti *quod*. — *rem curtaveris*, rem familiarem minueris; cf. Hor. Sat. II. 3, 124: «Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum» et Carm. III. 24, 64: «Curtæ nescio quid semper abest rei». — *urnæ Ossa inodora dabit;* solebant antiqui ossibus in urna collectis unguenta et odores miscere; cf. Ov. Fast. III. 561: «Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillæ»; Tib. II. 3, 5—7:

. . . non hic mihi mater,
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat honores;

Tib. III. 2, 23. sqq. de urna:

Illic, quas mittit dives Panchaia merces
Eoique Arabes, dives et Assyria,
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem;
Sic ego componi versus in ossa velim.

— *inodora*, sine odore; vox hoc uno loco pro certo occurrit, nam Apul. Met. IV. 2. nunc *floris odori* legitur; apud Gell. VII. 6, 1. Hertz *inodora* (sed alio sensu: sine odoratu) restituit, alii *inora* legunt. — *spirent cinnama surdum;* si cinnama iustum odorem non habent, si odor eorum iam-iam evanuit; ut enim surdus dicitur sonus obscurus (ut Juv. VIII. 71: «surda . . . bucina»), ita etiam ad colorem obscurum (ut Plin. N. H. XXXVII. 67: «ab hoc quibusdam intercurrit umbra *surdusque* fit color») et hoc loco ad odorem evanescentem transfertur. Cf. Plin. N. H. XII. 92: «quidam cinnami duo genera tradidere, candidius nigri-

usque, et quondam præferebatur candidum, nunc contra nigrum laudatur, atque etiam varium præferunt candido. Certissima tamen æstimatio, ne sit scabrum atque ut inter sese tritum tarde frietur. Damnatur in primis molle et cui labet cortex» ; Hor. Sat. II. 7, 38 : «Fervida quod subtile *exsurdant* vina palatum». — *spirent... surdum*, odorem surdum exhalent; cf. Verg. Aen. I. 403—404 : «Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere» ; Juv. VI. 462—463 : «Pane tumet facies aut pinguia Poppæana Spirat». — *cinnama*, frutex odores suavissimos præbens, qui a viris doctis *Laurus Cinnamomum L.* vocatur. Cf. Plin. XII. 89—94. — *Seu ceraso peccent casiæ ;* cf. scholia : «Solent pigmentarii ceraso (certe libro cerasi) casiam admiscere, sicut et alias merces adulterant». — *casiæ*, frutex odores suavissimos præbens, qui a viris doctis *Daphne Cneorum L.* vocatur. Cf. Plin. XII. 95—97. Ad funeris usum emitur etiam apud Mart. X. 97, 2 : «Dum myrrham et casiam flebilis uxor emit». — *nescire paratus ;* heres iratus, ut odores ossibus defuncti miscendos minore pretio comparet, fraudem mercatorum se non animadvertere simulat et vilius cinnami genus casiamque ceraso adulteratam sibi dari patitur. — *paratus* cum infinitivo, ut I. 132 : «multum gaudere paratus».

V. 37—41. *Tune bona incolumis minuas?* verba heredis, qui cenam funeris neglexit et ossa defuncti inodora urnæ dedit : «Tune rem familiarem impune minuas?» — *incolumis*, impune ; *incolumitas* enim sæpe impunitatem significat, ut Cæs. B. G. III. 28 : «Incolumitatem deditis polliceri» ; Hirt. B. Afr. 95 : «Incolumitatem deditis concedere». Heres scilicet punire vult mortuum ob rem familiarem imminutam ; pœna autem in eo constat, quod iusta ei cum sordida parsimonia facit. — *et Bestius urguet*

Doctores Graios; et heres. ut olim Bestius, corrector ille morum notissimus, urget Græcos philosophiæ doctores, quibus interitum veteris frugalitatis Romanæ imputat. — *Bestius urguet;* subiectum verbi *urguet* est *heres* et huic subiecto addendum est: *ut Bestius.* Cf. supra V. 72: «Cum rota posterior curras»; Hor. Ep. I. 2, 41—42: «qui recte vivendi prorogat horam, Rusticus exspectat, dum defluat amnis», ubi *rusticus* ponitur pro: *ut rusticus*, et Hor. Ep. I. 15, 36—37: «Scilicet ut ventres lamna candente nepotum Diceret urendos corrector Bestius», ubi subiectum est *Mænius* (vs. 26.) et *Bestius* ponitur pro *ut Bestius.* Cf. etiam adnotationem Kiesslingii ad hunc locum: «Bestius wird wohl, wie Mænius, eine Gestalt der Lucilischen Satire sein, die in derselben die Rolle des altväterischen Eiferers gegen die eingerissene Sittenverderbnis spielte; auch Persius scheint auf Lucilius zurückzugehen». — *urguet Doctores Graios;* insectatur philosophos Græcos, quia, ut olim Cato Censorius, in sapientia a peregrinis adscita causam morum corruptorum videt. — *Ita fit,* Hungarice: «igy van ez». Germanice: «so geht es»; cf. Cic. De nat. de III. 37, 89: «Ita fit: illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt inque mari perierunt». — *postquam sapere urbi Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers;* postquam philosophia Græca una cum peregrinis mercibus, luxuriæ instrumentis, in urbem venit. — *sapere... nostrum hoc,* hæc nostra philosophia, quam a Græcis accepimus; infinitivus pro substantivo, ut I. 9: «nostrum istud vivere triste»; cf. adnotationem ad h. l. *Nostrum* significat: nostræ ætatis, ut I. 9. et II. 62. — *urbi,* in urbem, ut Verg. Aen. II. 47: «venturaque desuper urbi». — *Cum pipere;* cum pipere Indico; cf. adnotationem ad I. 55: «rugosum piper». — *palmis;* fructus palmarum sunt intellegendi,

Hungarice *datolya*, Germanice *Dattel*. Cf. Ov. Fast. I. 185: «Quid vult palma sibi rugosaque carica»; Met. VIII. 664: «hic mixta est rugosis carica palmis». — *maris expers*, imitatur Hor. Sat. II. 8, 14—15: «fuscus Hydaspes Cæcuba vina ferens, Alcon Chium *maris expers*». Expers maris erat generosissimum vini Chii genus, Ariusium, cui non immiscebatur, ut aliis vinis Græcis, aqua marina; cf. Galen. Meth. medendi XII. 4: οὐ μὴν οὐδ' εἰώθασι τοῖς εὐγενέσιν οἴνοις ... μιγνύναι τῆς θαλάσσης ἐν Λέσβῳ, καθάπερ οὐδ' ἐν Χίῳ τῷ Ἀριουσίῳ; Plin. N. H. XIV. 73: «In summa gloria post Homerica illa (vina), de quibus supra diximus, fuere Thasium Chiumque, ex Chio, quod Ariusium vocant». Hoc loco igitur *sapientia maris expers* significat sapientiam nimis delicatam, hominibus luxuriosis aptam, quæ, ut *Chium maris expers*, peregrinis mercibus, luxuriæ instrumentis, est adnumeranda. — *Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes*, etiam rustici vilissimæ condicionis lautius vivere cœperant. — *Fœnisecæ*, homines rudes et inculti, ut V. 122: «fossor». — *crasso ... unguine;* quia etiam rustici cibis large unctis volunt uti; cf. III. 104: «*crassisque* lutatus amomis» et VI. 16: «cenare sine uncto». — *vitiarunt*, quia cibis unctis uti secundum heredem illum avarum depravationis signum est. — *pultes*, e farre, antiquissimum apud Romanos cibi genus. Cf. Plin. N. H. XVIII. 83: «Ex omni genere durissimum far et contra hiemes firmissimum ... Primus antiquis Latio cibus ... Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum». — *Hæc cinere ulterior metuas?* Talia dicta post mortem metuas? interrogat poeta. Cf. Hor. Ep. II. 2, 191—192: «nec metuam, quid de me iudicet heres, Quod non plura datis invenerit». — *cinere ulterior*, postquam in rogo cinis factus es.

Pars quinta (v. 41--61.) *At cum herede severius agendum est; itaque cum eo tale colloquium instituit poeta.* «*Egregium triumphum — ait — Cæsar de Germanis acturus est: quare ego lætus gladiatorium munus edam et oleum atque viscerationem populo dabo. Quid, num tu prohibes?*» *Cum heres indignabundus agros Persii talibus largitionibus non sufficere dicat, respondet ille:* «*Si tibi agri mei non placent, facile inveniam heredem alium; nam, si heredem nullum habebo ex agnatis et cognatis, præsto erit mihi heres ad clivum Virbi, Manius quidam Aricinus inter pauperes et mendicos, qui libentissime adeat bona mea. Si tu obiicias, esse illum obscurum et ignobilem, id ego non curo, nam meum quoque genus, si altius ascendas, ad ignotum aliquem reducendum est, a quo nihil differt Manius ille*».

V. 41—47. *meus*, vocativus pro *mi*, ut Verg. Aen. VI. 836: «sanguis meus!» — *Quisquis eris;* quod significat Persium, quis heres futurus sit, minime curare. — *paulum a turba seductior audi*, ut testibus remotis liberius tecum colloquar; cf. adnotationem ad II. 4: «seductis... *divis*». — *O bone*, ut III. 94: «Heus, bone.» — *num ignoras?* sc. victoriam Cæsaris, de qua omnes loquuntur. Vss. sqq. alludit ad ridiculam Caligulæ insaniam, qui, postquam summo apparatu exercitum contra Germanos et Britannos eduxit, nihil serii agendo totam expeditionem in ludibrium vertit, postea tamen quasi victis hostibus triumphum paravit a. 40. p. Chr. n. Cf. Suet. Cal. 43. sqq.; Tac. Germ. 37. — *missa est a Cæsare laurus;* intellegendæ sunt litteræ laureatæ, quibus imperatores victoriam senatui nuntiabant. Cf. Plin. N. H. XV. 133: «Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuntia additur (laurus) litteris»; Schol. in Juv. IV. 149: «Antea si quid nuntiabant consules in urbem per

epistulas, si victoriæ nuntiabantur, laurus in epistula figebatur, si autem aliquid adversi, pinna»; Suet. Cal. 44. «(Caligula) magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent nec nisi in æde Martis ac frequente senatu consulibus traderent». — *Insignem ob cladem Germanæ pubis;* de hac re rectissime Tac. Germ. 37: «ingentes Gai Cæsaris minæ in ludibrium versæ.» — *aris Frigidus excutitur cinis;* reliquiæ prioris sacrificii amoventur, ut nova ob victoriam sacrificia diis offerri possint. — *ac iam postibus* etc.; Cæsonia, uxor Caligulæ, triumphum apparat (cf. Ov. ex Pont. III. 4, 95—110. de Livia triumphum Tiberii apparante) et omnia, quæ victores ad triumphum exornandum ex præda Romam portare solebant, ad hanc falsam pompam illustrandam Romæ facienda et comparanda curat: Caligula enim nullam habuit prædam, quam Romam mitteret. Cf. Suet. Cal. 47: «Conversus hic ad curam triumphi (Caligula) præter captivos ac transfugos barbaros Galliarum quoque procerissimum quemque et (ut ipse dicebat) ἀξιοθριάμβευτον ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam, coegitque non tantum rutilare et summittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere et nomina barbarica ferre . . . Scripsit et procuratoribus, triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent.» — *postibus arma;* arma hostibus adempta, spolia, partim in domo triumphatoris, partim in templis deorum affigebantur postibus. Cf. Plin. N. H. XXXV. 7: «aliæ foris et circa limina animorum ingentium imagines erant adfixis hostium spoliis, quæ nec emptoribus refigere liceret triumphabantque etiam dominis mutatis emptæ domus»; Val. Max. VII. 6, 1: «Cannensis autem clades adeo urbem nostram vehe-

menter confudit, ut M. Iunii opera, dictatura rempublicam administrantis spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumenta militiæ futura convellerentur.» — *chlamydas regum;* chlamydes regias, nam in triumpho etiam reges capti producebantur; iis igitur, qui in hoc falso triumpho reges agere debebant, Cæsonia chlamydes regias faciendas curabat. Cf. Hor. Carm. II. 12, 11—12. de triumpho: «ductaque per vias Regum colla minacium; Prop. II. 1. 33—34:

Aut regum auratis circumdata colla catenis
Actiaque in sacra currere rostra via;

Ov. ex Pont. III. 4, 109—110. de triumpho Tiberii: «Barbara iam capti poscunt insignia reges Textaque fortuna divitiora sua.» — *lutea gausapa;* de gausapo cf. adnotationem ad IV. 37: «balanatum gausape»; hoc loco significat falsos capillos rutilo colore, quos ii, qui captivos Germanos agebant, capitibus imponebant, ut Germanis similes essent. Cf. Suet. Cal. 47. supra laud.: «rutilare et summittere comam». Simile quiddam fecit postea Domitianus, de quo Tac. Agr. 39: «Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.» — *lutea;* rutila, ut rutilos Germanorum capillos imitarentur; cf. Tac. Germ. 4. de Germanis: «Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cærulei oculi, *rutilæ comæ*, magna corpora.» *Luteus* est teste Gell. II. 26. color rufus dilutior. — *Essedaque;* currus, quibus Galli et Britanni in pugnis utebantur; cf. Verg. Ge III. 204; Cæs. B. G. IV. 33; Tac. Agr. 35. Caligula certe esseda Britannica in triumpho ostendere voluit, quia se totam subegisse Britanniam litteris Romam missis

mentitus est; cf. Suet. Cal. 44: «Nihil autem amplius, quam Adminio, Cynobellini Britannorum regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto, quasi universa tradita insula, magnificas Romam litteras misit.» — *ingentes . . . Rhenos;* Rheni fluvii simulacra; solebant enim in triumpho simulacra montium et fluviorum terræ hostilis partim in tabulis picta, partim statuis repræsentata produci. Cf. Ov. A. A. I. 219—220:

Atque aliqua ex illis cum regum nomina quæret,
Quæ loca, qui montes quæve ferantur aquæ

et 223—224:

Hic est Euphrates præcinctus arundine frontem:
Cui coma dependet cærula, Tigris erit;

Prop. II. 1, 33—34. de triumpho Actiaco:

Aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.

— *Rhenos;* quia Rheni fluvii simulacra in triumpho de Germanis acto deesse non poterant; cf. Ov. Trist. IV. 2, 41—42. de triumpho Tiberii Germanico:

Cornibus hic fractis, viridi male tectus ab ulva,
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat,

et Ex Pont. III. 4, 107—108. de triumpho eiusdem: «Squalidus immissos fracta sub harundine crines Rhenus et infectas sanguine porgat aquas». — *locat;* hæc omnia facienda et comparanda locat, i. e. redemptori minimum poscenti tradit Cæsonia. Cf. Hor. Carm. II. 18, 17—18: «Tu secanda marmora Locas sub ipsum funus»; Plin. N. H. XXXV. 157: «Volcam Veis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus Iovis

effigiem in Capitolio dicandam». — *Cæsonia;* Caligulæ olim amica, postea uxor. Cf. Suet. Cal. 25: «Cæsoniam neque facie insigni neque ætate integra matremque iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ et lasciviæ perditæ, et ardentius et constantius amavit . . . uxorio nomine dignatus est . . . uno atque eodem die professus et maritum se eius et patrem infantis ex ea natæ».

V. 48—52. *Dis igitur genioque ducis centum paria ob res Egregie gestas induco;* in honorem deorum et genii imperatoris ob victoriam munus gladiatorium edo. — *genioque ducis;* genius imperatoris iam inde ab Augusti temporibus publice colebatur; Caligula multos gravissimis supplicis adfecit teste Suet. Cal. 27: «quod nunquam per genium suum deierassent.» — *ducis;* apud poetas Romanos inde a Propertio *dux* sæpe imperatorem significat; cf. Prop. II. 10, 4: «Romana mei dicere castra *ducis,*» et II. 16, 19—20; «ipse Straminea posset *dux* habitare casa» Ov. Fast. V. 145—146. de Augusto:

> Mille lares *geniumque ducis,* qui tradidit illos,
> Urbs habet et vici numina trina colunt;

Juv. II. 104. de Othone: «Nimirum summi ducis est occidere Galbam,» IV. 145—146. de Domitiano: «quos Albanam *dux* magnus in arcem Traxerat» et VII. 20—21. de Hadriano: «ducis indulgentia» — *centum paria . . . induco,* centum paria gladiatorum; cf. Hor. Sat. II. 3, 85—86:

> Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
> Damnati populo paria.

Munera gladiatoria non in funeribus solum, sed quavis festa occasione privati edebant, præsertim in honorem imperatoris; cf. Suet. Claud. 34. de Claudio: «Quocunque gladiato-

rio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos iugulari iubebat»; Juv. III. 34—37:

> Quondam hi cornicines et municipalis harenæ
> Perpetui comites notæque per oppida buccæ,
> Munera nunc edunt et verso pollice vulgus
> Cum iubet, occidunt populariter.

— *induco;* de gladiatoribus in harenam inductis, ut Cic. Opt. Gen. Or. 6. 17: «A me autem gladiatorum par nobilissimum *inducitur*»; Suet. Claud. 34: «*Induxit* (Claudius) et unum ex nomenculatoribus suis, sic ut erat togatus.» — *Quis vetat?* interrogat poeta, cum heredem ob hanc liberalitatem indignantem videt. — *Aude*, sc. vetare, exclamat minitans. — *Væ, nisi conives;* væ tibi, nisi in hac re conives; nam, si vetare audes, liberalius agam et populo præter ludos etiam oleum artocreasque largior. *Conivere* pro: indulgentem esse, veniam dare, ut Cic. Phil. I. 7. 28: «Sed hæc ipsa concedo, quibusdam etiam in rebus coniveo». — *Oleum*, quod festis diebus sæpe dabant populo munifici, ut Liv. XXV. 2. P. Scipionem ædilem dedisse congios olei quinquagenos in vicos singulos testatur; etiam M. Agrippa ædilis oleum et salem populo dedit teste Cass. Di. 49. 43. Cf. Suet. Cæs. 38: «(Iulius Cæsar) populo præter frumenti denos modios ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim dedit.» — *artocreasque*, præter hunc locum occurrit in inscriptione apud Orell. 7. 4937: «. . . ornetur dedicatione artocrea populo Cuprensi dedit». Vox ex ἄρτος (panis) et κρέας (caro) composita videtur cibi genus ex pane et carne constans significare. — *popello;* forma deminutiva contemptum significat, ut IV. 15: «caudam iactare popello». — *An prohibes?* interrogat poeta; heres clara voce respondere non audet, sed mussat aliquid,

quare Persius addit: *Dic clare*, i. e. noli mussare, sed dic clare, quid velis. — *Non adeo, inquis, Exossatus ager iuxta est;* ager tuus in propinquo situs non est lapidibus adeo purgatus (i. e. adeo probe cultus et fecundus), ut tales largitiones sine maximo rei familiaris damno facere possis. Verba heredis. — *inquis*, ut I. 112: «Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum». — *Exossatus; exossare* aliquid proprie significat: ossa eximere; *exossare agrum* est audax translatio: agrum lapidibus purgare, quia lapides sunt secundum poetas antiquos ossa terræ. Cf. Choerili versum apud Eust. Il. p. 309, 43: Γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς πόδα; Ov. Met. I. 393—394: «lapides in corpore terræ Ossa reor dici.» — *iuxta est*, in propinquo; cf. Cæs. B. G. II. 26: «Cum legionem, quæ iuxta constiterat, urgeri ab hoste vidisset». Intellegenda sunt prædia Persii suburbana, de quibus in Vita poetæ de commentario Probi Valerii sublata legimus: «Decessit (Persius) ad octavum miliarium via Appia in prædiis suis». Persius enim et heres paulo ante triumphum Caligulæ Romæ colloqui putandi sunt.

